



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Iustitia Et Iure ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Capvt XXXIV. De Beneficiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

CAPVT XXXIV.

De Beneficijs.

Complectitur Dubitationes 38.

IN hoc capite Primò dicendum quid beneficium, & quibus modis acquiratur. Secundò, De conditionibus requisitis in beneficijs. Tertio, De ijs ad quæ obligantur. Quarto, De amissione beneficiorum. Quintò, De pensionibus, quæ beneficijs imponuntur.

DUBITATIO I.

Quid sit Beneficium.

RESPONDEO varijs definitionibus, Respondeo, Beneficium esse *Ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis propter aliquod officium spirituale, auctoritate Ecclesie constitutum.* colligitur ex Innocentio, & Hostiensis in cap. Relatum. 9. de præbend. Ioanne de Silua, de Beneficijs, qu. 1. & alijs.

Tria in beneficio.

Vbi Notandum Primò, Tria posse distingui in beneficio. Primum est, *ipsum officium* seu obligationem, qua quis tenetur aliquam functionem spiritalem obire; vt legere preces Canonicas, facere Sacrum, administrare Sacramenta, prædicare verbum Dei. hoc est omnino spirituale, non tamen est beneficium, sed fundamentum & causa beneficij.

Secundum est, *Ius percipiendi certos redditus ex bonis Ecclesiasticis*, & hoc ius est propriè beneficium, nasciturque ex officio tamquam ex sua causa, diciturque solet præbenda, peculiariter in canonicatibus. Vnde patet beneficium esse quid spirituale; quia oritur ex re spiritali, nempe ex spiritali officio, in quo fundatur, & cui inseparabiliter est annexum; vt docent Hostiensis, & Ioannes à Silua, supra.

Tertium, sunt *ipsi fructus*, qui sunt quid temporale. hi percipiendi sunt ex bonis Ecclesiasticis, id est, ex bonis Deo dicatis & Ecclesie donatis; de quibus supra c. 4. dub. 6. dictum est, ea fuisse olim in quatuor portiones diuisa, & ex illis auctoritate Ecclesie postea fuisse beneficia erecta, singulis titulis certa portione fructuum assignata.

Notandum Secundò, Hoc ius debere esse *perpetuum*; quia si sit temporale tantum, non est beneficium. Vnde Vicaria temporalis non est beneficium de quo loquuntur Canones, vt rectè docet Nauarrus lib. 3. consil. 6. de præbendis. Secus est de Vicaria & cappellania perpetua.

Dices, Ergo Prioratus non est beneficium; quia pro arbitrio Abbatis tolli potest. Similiter Abbacia: quibusdam locis non obtinentur nisi triennio. Denique beneficia regularia, & omnia quæ manualia vocantur, quæ ad nutum Superioris auferri possunt.

Respondeo negando consequentiam, quia etsi tolli possint, id non habent ex sua institutione, sed ex eo, quòd is qui ea obtinet, subiectus sit Superiori quoad officia, habitationem, totamque vitæ directionem. Simili modo dicunt quidam, Pontificem ex plenitudine potestatis posse etiam sæculares priuare suis beneficijs pro arbitrio, & alijs

conferre: quod etsi non putem esse verum, nisi causa iusta subsit; (quia non est dominus beneficiorum, sed solum supremus dispensator ad Ecclesie vtilitatem; & sæculares non ita ei subsunt, vt Monachi suo Abbati) tamen etiamsi verum esset, rectè tamen beneficia dicerentur perpetua, quia ex sua institutione talia sunt, nec possunt per alium quam per Superiorem auferri. Adde, beneficia dici perpetua, non quia non possunt auferri, sed quia instituta sunt vt semper durent, vtque dum vni auferuntur, alij tribuantur. Secus de pensionibus, quæ morte pensionarij extinguuntur. & ideo nomine beneficij non veniunt, etsi sint clericales, & ad Officium B. Virginis obligent, vt docet Nauar. in Enchir. cap. 23. n. 111. & plerique Doctores.

Notandum Tertio, Hoc ius auctoritate Ecclesiastica debere esse erectum vel confirmatum; alioquin non censetur beneficium Ecclesiasticum, vt colligitur DD. ex cap. Nemo 7. de consecrat. dist. 1. vt si quis institueret aliquem capellanum perpetuum, vt daret prouentus Ecclesie pro instituendo canonicatu; nisi auctoritas Prælati accedat, non erit beneficium. Ratio est, quia solius Prælati est officia in Ecclesia instituire, eisque prouentus Ecclesiasticos annectere; ipsius est dispicere quot & qualibus ministris Ecclesia opus habeat; & proinde novos admittere vel excludere: alioquin magna sequeretur confusio.

DUBITATIO II.

Quotuplex sit Beneficium.

RESPONDEO, Beneficium aliud est sæculare, aliud regulare. Item aliud est simplex, aliud duplex. Ita Rebuffus in praxi, pag. 5. & 6. & alijs. Sæculare est omne illud, quod non est pro Regularibus institutum, aut illis peculiariter annexum. Hæc regularibus sine dispensatione Papæ conferri non possunt; quia est regula generalis, Beneficia sæcularia secularibus; regularia Regularibus conferenda esse: quæ colligitur ex cap. Possessiones. 10. de rebus Ecclesie non alienandis, & cap. Cùm de beneficio. 5. de præbendis in 6.

Excipe tamen beneficia curata: hæc enim etsi sæcularia sint, possunt Regularibus conferri absq; speciali dispensatione: nam vt habetur cap. Quòd Dei timorem. 5. de statu Monachorum, per antiquos Canones etiam Monachi possunt ad Ecclesiarum parochialium regimen in presbyteros ordinari, estque communis sententia DD. teste Panormitano in d. cap. Quòd Dei timorem.

Regulare beneficium est, quod pro Regularibus est institutum, vt Abbacia, Prioratus, Canoniciatus Regularis; vel ita annexum, vt per eos debeat administrari, vt sunt quedam parochie: hoc genus etiam non potest conferri secularibus sine dispensatione, exceptis curatis, quæ cum consensu Monasterij possunt secularibus conferri, hæc enim in commodum populi instituta sunt: vnde sufficit vt dentur maximè idoneo.

Notan-

8
Presumitur
faculare.

Notandum autem; omne beneficium presumi faculare, nisi probetur esse regulare. Regulare autem esse probatur vel ex prima institutione, vel quia 40. annis possessum fuit à Regularibus absque dispensatione. nam per possessionem tantum temporis pacificam, ex regulari sit faculare, & contra, ratione prescriptionis; vt docet Glossa in cap. Cum de beneficio, de prebendis. in 6. & colligitur aperte ex illo cap. & ex cap. De quarta, de prescriptione: tanto enim tempore completur legitima prescriptio contra Ecclesiam & Monasterium, vt patet ex dicto cap. De quarta. vide supra cap. 6. dub. 8.

9
Duplicitas.

Beneficia duplicia vocantur omnia, quae sunt cum administratione: inter quae maximum est Papatus, cui nomen beneficij tribuitur c. 1. de maleficis. Deinde Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, & Cardinalatus; cap. 2. Cleros d. 21. & cap. Felicis. 5. de poenis, in 6. Item beneficia, quae dicuntur Dignitates, vt Praepositura, Decanatus, Archidiaconatus, Abbatia saecularis, quae est in quibusdam Ecclesijs instar Decanatus, Abbatia regularis, Prioratus conuentualis, & claustralis. Eit autem Dignitas praeminentia cum iurisdictione in foro externo, secundum Panormitanum in cap. De multa, de prebendis. vnde etiam Episcopatus & Papatus interdum dignitates dicuntur, quamuis hoc nomen presens accipiatur pro beneficijs infra Episcopatum eminentiam habentibus. Praeter haec sunt beneficia, quae dicuntur Personatus: haec habent eminentiam in Ecclesia sine iurisdictione, vt honorificum locum in choro, in processionibus, in suffragijs dandis: vt Cantoria, & similes.

Dignitas.

Personatus

Aduerte tamen, spectandum esse usum locorum; nam quibusdam locis Dignitates & beneficia curata vocantur Personatus; vt notat Siluester v. Beneficium, r. num. 2.

Huc etiam pertinent beneficia, quae vocantur Officia, vt beneficium Sacristae, seu Thesaurarij Ecclesiae. haec habent administrationem rerum Ecclesiasticarum sine iurisdictione.

Denique beneficia parochialia, seu curata. haec omnia dicuntur duplicia; quia praeter recitationem precum, quae communis est omnibus, habent etiam administrationem, vel certè aliquam eminentiam.

10
Simplicia.

Beneficia simplicia dicuntur reliqua omnia, quae neque administrationem, neque eminentiam singularem habent, sed tantum instituta sunt ad preces Deo perfoluendas, aliaque diuina officia obtinenda: tales sunt Canonicatus, etiam Ecclesiae cathedralis, vt docet Nauarr. lib. 3. consil. 4. 5. de prebendis. Item Canonicatus regulares, cappella, sacella, altaria. Denique praestimonium, quae sunt beneficia instituta vel pro studiosis, vt sua studia profectui possint, habentque saepe exiguum onus, verbi gratia, quinquies Pater & Aue Maria quotidie, vel in subsidium Terrae sanctae, vt ait Rebuffus, in praxi benefic. pag. 6. de quibus infra num. 166.

DUBITATIO III.

Quibus modis beneficia acquirantur.

11
Sex modi
acquirendi
beneficia.

Omnia sex modis illicitis, Respondeo, acquiri sex modis. Primo, Praesentatione patroni praui, & institutione subsequa. Secundo, Ele-

ctione & confirmatione. Tertio, Postulatione & confirmatione. Quarto, Collatione libera. Quinto, Permutatione. Sexto, Resignatione in fauorem, cum secuta collatione. Verum quia his duobus postremis modis beneficium prius amittitur quam acquiratur, ideo de illis dicendum infra sub finem capituli.

Praesentatio secundum Panormitanum in cap. Ea noscitur, de his quae fiunt à Praelatis, est persona per patronum Episcopo, vel alteri ad quem institutio pertinet, legitime facta exhibitio. Institutio autem est beneficij & iuris in re in beneficio; collatio & attributio: vnde institutio solum fieri potest per Ecclesiasticos; horum enim est beneficia Ecclesiastica conferre, non laicorum. Praesentatio etiam per laicos fieri potest; (si ius patronatus habeant) quia per eam non datur ius in re; datur tamen ex dispositione Canonum ius ad rem, ita vt beneficium alteri conferri non possit.

Differt praesentatio ab electione, quod electio fiat à pluribus, vt à Capitulo; & à solis Ecclesiasticis, & per suffragia, & potissimum in Praelaturis locum habeat; praesentatio vero etiam ab vna persona, et si laica, & in quouis beneficij genere.

Similiter institutio & confirmatio differunt, quod institutio sit eius, qui praesentatus est à patrono; confirmatio, eius, qui electus vel postulatus: vtrumque tamen est vera collatio beneficij, seu iuris in re, & dominij, sed solum connotant diuersum modum conferendi, & diuersam personam, cui beneficium datur, praesentationem. Postulatur autem is, qui eligi non poterat, vel quia non erat de Capitulo, vel quia iure non erat capax. Habet tantum locum in Praelaturis. debent in postularum consentire saltem duae partes Capituli. vide plura apud Rochum; tractatu de iure patron. in princ. quaest. 4. & 5. & Siluestrum v. Electio, & v. Postulatio.

Collatio dicitur, quando beneficium solo iure Praelati datur, nec subest iuri patronatus.

Norandum est, omni beneficio commune esse, vt sine institutione canonica liberè obtineri nequeat, vt habetur regula prima de regul. iuris in 6. vbi nomen institutionis accipitur late, vt comprehendat etiam collationem & confirmationem. Dicitur Canonica, quae facta est secundum Canones, seu dispositionem iuris Canonici; vt si facta sit à Praelato habente potestatem, absque simonia, &c. sic electio canonica dicitur, quae secundum Canones facta est.

Tam autem canonica institutio est necessaria, vt si quis absque ea possessionem capiat, vel administrationi bonorum se immisceat, censeatur intrusus, & amittat ius, quod per electionem canonicam erat consecutus; vt patet cap. Auaritia, 5. de electione in 6. vnde confirmatio secuta non valet, nisi Pontifex ius amissum ei restituat; vt docet Rebuffus, 9. De missione in possessionem, n. 8. 9. 10. & colligitur ex cap. citato. Ratio est manifesta, quia confirmatio nititur electione vt fundamento, & ex virtute illius procedit. Illud tamen non habet locum in eo, qui post praesentationem patroni, ante institutionem administrat; quia lex poenalis non est extendenda ultra suum casum. vnde cum loquatur solum de electione, non est extendenda ad praesentationem. vide plura infra, num. 123.

Circa praedicta notandum est, praesentationem, Nn electio.

Sufficit possessio conferendi.

electionem, & collationem validam esse, etiam si patronus, elector, vel collator reuera ius non habebat, sed illud competebar alteri, modo tempore illius actus fuerit in pacifica possessione iuris illius, ita ut praesumeretur talis, ita expressè habemus de praesentatione quidem, cap. Consultationi, tit. de iure patronatus; de electione vero, cap. Querelam, de electione & electi potest. de collatione, cap. Cum olim, de causa possess. & propriet. Hoc ipso enim quo est in pacifica possessione illius iuris, & passim habetur talis, voluerunt iura actum valere. argumento in L. Barbarius. 7. de officio praetoris.

DUBITATIO IV.

Quid & quotuplex est Ius patronatus.

Ius patronatus.

Notandum est, *Ius patronatus* dupliciter accipi in iure. Primò, Pro iure, quod habent patroni in liberos ex manumissione: & sic accipitur lib. 37. 7. de iure patronatus; nec pertinet ad nostrum institutum. Secundò, Accipitur pro iure praesentandi ad beneficium, competens patronis beneficiorum & Ecclesiarum, quod etiam vocatur Ius aduocationis, ut patet cap. Quia Clerici, de iure patronatus. hoc modo accipitur in proposito, & à DD. communiter sic definitur: *Ius patronatus* est potestas praesentandi instituendum ad beneficium Ecclesiasticum vacans. Dico *vacans*; quia si non vacet, est irrita praesentatio; ut docent omnes DD & merito; quia est contra bonos mores, utpote praebens occasionem captandae mortis; cap. Nulla, de concess. praebendae.

Quid Ius patron.

Est autem hoc Ius duplex; Aliud enim est Ius patronatus Ecclesiastici, aliud laici. *Ius patronatus Ecclesiastici* iuxta Couarruiam in qq. pract. c. 3. 6. n. 2. dicitur, non quod Ecclesiasticus possidet; (is enim etiam laicum patronatum possidere potest) sed quod competit alicui ex eo, quod ex bonis Ecclesiasticis Ecclesiam fundauit, vel extruxit, vel dotauit, vel quod habetur ratione Rectoratus Ecclesiae, aut dignitatis Ecclesiasticae; ut si fundasti Ecclesiam, id est, si tribuisti fundum in quo aedificata est; si eam extruxisti, vel dotasti, si beneficium pecunia ex bonis Ecclesiasticis percepta erexisti, habes Ius patronatus Ecclesiastici, seu patronatum Ecclesiasticum. Item si habes ius praesentandi, quia Decanus, Praepositus, Abbas, vel Episcopus, &c. hoc Ius est patronatus Ecclesiastici; ita Glossa in Clement. 2. de iure patron. & alij.

Ius patronatus laicum.

Ius patronatus laici dicitur, quod competit alicui, quia ex bonis patrimonialibus, seu saecularibus Ecclesiam fundauit, vel construxit, vel dotauit, aut beneficium aliquod erexit, aut quia ab aliquo horum cautam habuit.

20

Notandum Primò, Si patronatus laicus donatione vel testamento, vel alia ratione transferatur in Ecclesiam, Capitulum, vel Monasterium, vel annexatur alicui beneficio, v. g. Decanatu, Praepositura, &c. tunc fieri patronatum Ecclesiasticum, & de illo tamquam de Ecclesiastico iudicandum; ut notauit Couarruias supra, & colligitur ex cap. vnicò. §. vltimo, de iure patronatus, in 6.

21

Secundò, Ius illud praesentandi, quod competit confraternitatibus vel sodalitatibus, quae aliquam cappellam vel beneficium collatis symbolis vel aliter instituerunt, esse patronatus laici; quia

ipsi laici sunt, & ex bonis saecularibus instituerunt: unde de illo tamquam de laicorum patronatu iudicandum; quamuis ipsi in quibusdam locis Ecclesia vocentur. vide Couarruiam supra, & Glossam in d. cap. vnicum.

DUBITATIO V.

Quibus modis acquiritur Ius patronatus, respectu Ecclesiae vel Beneficij.

Respondeo, Primò acquiritur, si quis Ecclesia construenda fundum concedat. cap. Nobis, de iure patrona. & cap. Quicumque, cap. De terminis, 16. qu. 7. Secundò, Si eam cum consensu Episcopi construat. Tertio, Si eam dote vel beneficium aliquod erigar; colligitur ex ipsdem Canonibus, & ex Concilio Trident. sess. 25. de reform. cap. 9. Quarto, Multiplicatis praesentationibus per tempus, quod memoriam hominum excedat. Ita Concilium Trident. supra. Quintò, Concessione Pontificis, ut si Ecclesia ab initio fuerit libera, nulli patronatu subiecta, & ut melius defendatur ab aliorum iniurijs, Pontifex adoptet illi patronum, hoc modo plerumque Principes seculares videntur consecuti ius patronatus in Ecclesijs cathedralibus & dignitatibus: non enim ipsi vel eorum maiores, omnes illas Ecclesias vel dignitates fundauerunt aut dotauerunt: sed pleraque fundata & dotata sunt vel ex bonis Ecclesiasticis, ut ex decimis & fructibus bonorum iam ante Ecclesiam donatorum, vel ex symbolis & elemosynis fidelium, vel ex opulentiorum hominum patrimonijs, qui se suaque omnia Ecclesiae vel Monasterio consecrabant. unde illae Ecclesiae dignitates ab initio erant liberae, nulli patrono subiectae. Similiter beneficia pleraque libera erant; nam ex bonis communibus Ecclesiae erecta sunt. Itaque tunc Praelati non nominabantur à Principibus, sed eligebantur, vel à clero simul & populo, ut primis saeculis fieri consueuerat; vel à clero solo, ut medijs saeculis factitatum fuit. Tandem posterioribus saeculis, partim usurpatione, partim Pontificum concessione hoc ius nominandi plerisque locis obtentum est à Principibus, politicae administrationis intuitu; qua in re concedenda vel permitteuda Pontifices se faciliores praebuerunt; quod sperant Ecclesias per eos diligentius fore defendendas.

Notandum Primò, Concilium Trident. circa huius iuris acquisitionem, possessionem & alienationem, multa constituisse: sessione enim 14. cap. 12. statuit, ut nemo cuiusvis dignitatis, Ecclesiasticae vel saecularis, quacumque ratione, nisi Ecclesiam, beneficium, aut cappellam de nouo fundauerit & construxerit; seu iam erectam, (quae tamen sine sufficienti dote fuerit) de suis proprijs & patrimonialibus bonis competenter dotauerit, Ius patronatus impetrare aut obtinere possit, & ut institutio reuocetur Episcopo. haec tamen intelligenda sunt in futurum: similiter & caput sequens. sess. verò 25. cap. 9. de reformatione, dat Episcopis potestatem examinandi patronorum titulos, & abrogat multorum iura, quae iuxta formam ibi praescriptam probata non fuerint. Item dat eisdem potestatem examinandi praesentatos, siue ab ipsis instituendi sint in beneficijs, siue ab inferiore. Denique vetat Ius patronatus

22
Quinque modi acquirendi patronatus.

23
Ius patronatus Principum.

24
Conc. Trident. de iure patronorum.

Examinandi patronorum titulos, & abrogat multorum iura, quae iuxta formam ibi praescriptam probata non fuerint.

natus vendi, sub pœna excommunicationis & interdictionis ferenda; & sub pœna amissionis illius iuris ipso facto incurrenda. puto tamē in hac amissione expectandam esse sententiam iudicis, neque ante hanc teneri quemquam se hoc iure spoliare, iuxta ea quæ dicta sunt supra cap. 29. dubit. 8. de quo plura 1. 2. q. 96. art. 4. Est tamen simonia, vendere illud ius per se; aut propter illud vendere plura bona, quibus annexum est; quia est res spiritualis, vt infra dicitur c. 35. dub. 2.

25 Notandum est, quando plures concurrunt ad donationem fundi, vel dotacionem Ecclesiæ vel beneficij, omnes fore patronos, ac proinde omnes debere præsentacionem facere; vt colligitur ex Canonibus supra. quomodo autem id heri debeat, dicitur dubit. 8.

D V B I T A T I O V I.

Intra quantum temporis teneatur patronus præsentare, beneficio vacante.

26 *Quatuor menses.* *Sex menses.* **R**espondeo Primò, Si patronatus sit laicus, patronus intra quatuor menses à vacatione beneficij vel Ecclesiæ tenetur præsentacionem facere: si autem sit Ecclesiasticus, intra sex. Ita habetur cap. vnico, de Iure patronatus, in 6. spectanda enim est conditio patronatus, siue Ecclesiasticus an laicus. porro etiam Ecclesiasticus est censendus, quando à laico Ecclesiæ est datus, vt supra n. 20. dictum est.

Secundò, Si patronatus partim sit laicus, (id est, laico iure competens) partim Ecclesiasticus (vt sæpè fit, quando duo sunt patroni, quorum alter est laicus, alter Capitulum, Decanus, vel Pastor) tunc laicus propter societatem Ecclesiasticam, habebit sex menses, vt docent Ioannes Andreas & Archidiaconus in d. cap. vnico; hoc enim priuilegium ei conceditur ob communionem cum Ecclesiastico, sicut qui habet rem communem cum pupillo, particeps est priuilegij pupilli, quo res illa non potest præscribi. L. Si communem. 7. Quemadmodum seruicus amittatur.

27 Tertiò, Si intra tempus constitutum scientes non præsentauerint, in Episcopi potestate est conferre beneficium cui voluerit, cap. Quoniam, de Iure patronatus; vbi Panormitanus & alij; quamuis id contingat ex eo quòd patroni de iure patronatus inter se contendant, vt ibidem notat Panorm. nam cap. illud generatim loquitur, quod idè constitutum est, ne Ecclesia diu ministris careat; quod propter patronorum lites fieri par non est. Secus est quando electio extrahitur propter contentionem super iure eligendi: quia electio est maioris momenti & magis necessaria ad bonam collationem. vide Siluestrum v. Ius patronatus, q. 5. patroni tamen vacationem beneficij ignorantibus non currit hoc tempus, sed incipit à tempore scientiæ. cap. Quia, in fine, de concess. præbendæ.

D V B I T A T I O V I I.

Qualem teneatur patronus præsentare.

Respondeo Primò, Non potest seipsum præsentare, vt colligitur ex cap. Per nostras, de Iure Patronatus: Episcopus tamen posset ipsi motu proprio conferre beneficium; modò ipse consentiat, vt patet ex c. citato. potest etiam pater præsentare filium, si idoneus sit. Secundò, Teneatur præsentare idoneum. quòd si ineptum præsentet, si quidem sit patronus laicus, iubendus est alium præsentare, qui beneficio sit dignus: si autem sit Ecclesiasticus, vel Monasterium, vel Capitulum, priuatus est ea vice iure præsentandi, & collator liberè potest conferre, vt docet Glossa in cap. Cum vos, v. Minus idoneæ, de officio ordin. citans cap. Cum in cunctis 7. de elect. Sed cõtrarium est valdè probabile. quia cap. Cum in cunctis, solum loquitur de electoribus, & quidem Episcopi. vnde cum sit constitutio pœnalis, non debet extendi ad patronos, maximè in alijs beneficijs. qua parte autem punit Episcopum facientem contra dispositionem illius cap. continet pœnam ferendam. vnde puto patronum non esse ipso Iure priuatum ea vice, sed priuandum. quod etiam insinuat Glossa supra, quando patronus est persona aliqua singularis, non Collegium. sed quidquid sit de patrono Ecclesiastico, laicus tamen non priuatur, quia laici non tenentur ita cognoscere qui sint digni & idonei, sicut Ecclesiastici. Tertiò, Præsentato digno, Episcopus tenetur conferre, & potest compelli, cap. Pastoralia 29. de Iure patronatus.

30 Episcopus tenetur instituire præsentatū si est dignus.

D V B I T A T I O V I I I.

Si multi præsententur, quisnam ex illis sit instituentus.

Respondeo Primò, Si patronus, qui antè præsentauit Petrum, postea præsentet Ioannem, velitque hunc præferri; tunc, si quidem patronatus sit laicus, in arbitrio Prælati erit instituire vtrum maluerit. patet ex cap. Cum autem 24. de Iure patronatus: quando enim patronatus est laicus, præsentatio secunda non reddit irritam primam, nec contrà. Quòd si patronatus sit Ecclesiasticus, tunc qui prior est tempore, potior est Iure; vt habetur dicto cap. vnde prior præsentatus, est instituentus.

31 Vt præferendus.

Secundò, Si vnus idemque sit præsentatus à patrono laico & Ecclesiastico, non potest laicus præsentare secundū, sed collatio debet fieri priori; quia hic à duobus est præsentatus. Panorm. in d. cap. Cum autem. Nec refert quòd secundus sit magis idoneus, quia sufficit priorem esse verè idoneum; modò beneficium non habeat curam animarum, vt docet Panorm. supra. Crediderim tamen, si secundus sit notabiliter magis idoneus, posse huic conferri, omisso priore: quod tenet Ioannes Andreas in d. cap. Cum autem. Prælati enim huic fauere potest, tum ob præsentacionem laici, qui mutare potest, tum ob maiorem aptitudinem, quæ maximè in beneficiorum collatione est spectanda.

32 An secundus possit præsentari.

Nn 2 Tertiò,

33 Si patroni dissentiant.

Tertio, Si duo sint patroni, & alter praesentet Petrum, alter Ioannem, in arbitrio collatoris est conferre vtri maluerit. Adde, probabile esse, Episcopum tunc posse conferre alicui tertio: quia dum patroni inter se non conueniunt, Ius no cogit illum instituere alterutrum ex praesentatis. Ita Silu. supra q. 8. ex Panormitano.

Quarto, Quando multi sunt patroni, & non sunt inter se concordēs, is instituendus est, in quem plures consentiunt, siue illi praesentent per modum vnius corporis, siue seorsim.

34

Vbi Aduerte, quando plures praesentant per modum Collegij, vel Capituli, debere omnes conuocari, qui commode conuocari possunt: alioquin qui vocatus non fuerit, potest curare illam praesentationem per Iudicem irritari, etiam si ceteri omnes in eam consenserint. argumento cap. Cum in Ecclesijs. 33. de praebendis, in 6. vbi ita disponitur de electione & collatione, quae a multis est facienda. Quando autem plures praesentant seorsim, non est necesse conuocare; sed satis est vt plures seorsim in aliquem consentiant. In his tamen habenda est ratio consuetudinis receptae. vide Siluestram quae sit. 11. & 12.

DUBITATIO IX.

Utrum Pontifex possit derogare Iuri patronatus, conferendo beneficia non praesentatis.

35 Potest derogare.

Respondeo & Dico Primo, Pontificem posse derogare, siue patronatus sit Ecclesiasticus, siue laicus. est communis sententia DD. in cap. Cum dilectus. 28. de Iure patronatus; vt docet Couarr. in pract. cap. 36. n. 1. Ratio est, quia hoc Ius concessu est a Pontificibus principaliter propter bonum Ecclesiae, vt Ecclesia haberet defensores: secundario in honorem ipsorum fundatorum. ergo quando Summus Pontifex iudicat Ecclesiae expedire vt non expectet patronorum praesentationem, vel vt alteri conferat, poterit liberē conferre; quia semper maior debet haberi ratio finis principalis, quam secundarij. Secundo, Quia ex eo quod alijs hoc ius praesentandi concesserit, non censetur seipsum in omni euentu voluisse spoliare sua conferendi potestate; sed sufficit vt regulariter praesentationes aliorum admittat: quod maximē verum censuerim in Iure patronatus, quod ex nuda concessione absque fundatione ab aliquo obtinetur.

36 Debet apponi clausula derogatoria, si patronatus est laicus.

Notandum tamen ex Couarr. supra, num. 2. si patronatus sit laicus, non censeri ei derogatum, etiam si Pontifex de facto conferat alteri beneficium, nisi id disertē in litteris per clausulam derogatoriam exprimat. Ita communiter DD. in c. 2. de praebendis, in 6. & colligitur ex cap. Super eo. 15. de officio Delegati. Neque sufficit vt in litteris collationis dicatur, Conferimus Perro hoc beneficium, ad cuiuscumque praesentationem vel collationem pertinet; sed expressē debet derogare patronatui laico, vt habet Decisio Rotae 331. teste Couarruina, n. 2. Quod si ad Regem, Ducem vel Marchionem pertineat, debet idiplum exprimi, vt habetur in regul. Cancell. 45. Si autē patronatus sit Ecclesiasticus, potest ei Pontifex derogare per simplicem benefici collationem, etiam si nulla

mentio eius derogationis in litteris promissionis fiat. vt iidem Doctores in dictum cap. 2. de praebendis, docent.

Ex quibus inferitur, reseruaciones Apostolicas beneficiorum, quae sunt propter crimen, vel quia contingit beneficia vacare apud Sedem Apostolicam, vel ob aliam rationem, ex Iuris communis, vel regularum Cancellariae dispositione, no comprehendere beneficia Iuris patronatus laicorum, quoad eorum praesentationem tollendam; bene tamen quoad institutionem, quae Praelatis competit: haec enim tunc petenda est a Summo Pontifice; vt docet Glossa in reg. 40. Cancell. sub finē. hoc tamen Couar. supra num. 5. intelligit de Episcopatibus, Abbatibus, Prioratibus, Decanatibus, & alijs dignitatibus, quae Summo Pontifici per regulam 1. & 3. Cancellariae referuntur; non autem de beneficijs minoribus, quorum praesentatio ad laicos pertinet: haec enim eo quod sint Iuris patronatus laicorum, ab omnibus reseruacionibus esse exempta, etiam quoad institutionem a Praelatis faciendam.

37 Reseruaciones beneficiorum quo modo intelligenda.

Dico Secundo, Legatus a latere, & consequenter Nuntius Apostolicum cum potestate Legati de latere, posse derogare patronatui Ecclesiasticorum, non tamen laicorum. Est communis sententia DD. in c. Dilectus. 6. de officio Delegati. & in cap. Cum dilectus. 28. de Iure patronatus, vbi vtrumque habetur.

38 Legatus.

Dico Tertio, Episcopus tamen nec patroni Ecclesiastici, nec laici iuri derogare potest: si tamen praueinendo praesentationem patroni conferat beneficium, collatio non est irrita: verum secuta praesentatione patroni intra tempus Iure praescriptum, collatio illa resoluetur & euanescet, vt patet cap. 32. Decernimus. 16. q. 7. Si autem intra illud tempus patronus neminem praesentauerit, vel se non opposuerit, collatio manebit valida; quia iam ad Episcopum est deuoluta; & prior collatio non fuit irrita nisi secuta praesentatione patroni intra tempus Iure definitum: vbi ergo haec non sequitur, confirmabitur, & manebit valida.

39 Episcopus.

Petes, Quid si Ius patronatus partim sit laici, partim Ecclesiae?

Respondeo, Tunc non censetur ei facta derogatio absque expressa clausula, perinde ac si tantum esset patronatus laicorum. Ita communiter DD. teste Couar. c. 36. qq. pract. n. 4. ratio est, quia par non est, vt laicus rauone socij Ecclesiastici incommodum in re indiuidua sentiat. Et quamuis laicus gaudeat Iure Clerici, quoad tempus praesentationis sex mensiu; non tamen debet pati incommodum derogationis rauone socij Clerici, ne forte laici a fundatione & dotatione Ecclesiarum & beneficioru huiusmodi offensionculis auocentur: vnde etiam eorum patronatui maiora sunt concessa priuilegia, quam patronatui Clericorum, vt recte docet Cou. supra. Simili modo si duo patroni sint laici & totidem Ecclesiastici, censetur patronatus laicus quoad derogationem. Secus tamen si Ecclesiastici sint plures, v. g. tres, & laici duo; tunc enim censetur in derogatione Ecclesiasticum: nam Ecclesiastici, quorum consensus sufficit, cum sint maior pars, tenentur admittere derogationem quod si omnes sint laici, v. g. quinque, non erit rata derogatio, nisi maior pars consentiat, nempe tres vt minimum; horum enim consensus sufficit, etiam in praesentando.

40 Si patronatus sit diuersorum, an valeat derogatio.

41

Dico

42
Si privilegio acquiritur, valet derogatio.

Dico Quartò, Si Ius patronatus solum privilegio vel præscriptione acquisitum sit, potest Pontifex ei derogare, sine expressa clausula derogatoria, etiam si sit laicorum; modo tamen non constat à laico esse fundatum; imò etiam Legatus poterit tale beneficium sine præsentatione conferre. est communis sententia DD. vt ostendit Couarr. supra n. 5. ratio est, quia talis patronatus censeri potius debet Ecclesiasticorum, cum originem ex Ecclesiasticis trahat. vide hac de re plura apud Cou. pertinent enim hæc ad forum externum.

DUBITATIO X.

Quibus competat Ius collationis beneficiorum.

43
Proprie Episcopus est collator.

Respondeo & Dico Primò, In quaque diocesi Episcopum esse proprium collatorem omnium beneficiorum: hic enim in sua diocesi est Princeps & moderator factorum; ac proinde ad ipsum pertinet omnes Ecclesiæ ministros constituere, & officia sacra conferre, quod intellige, Nisi ex fundatione beneficii vel legitima præscriptione hos Ius alteri competat, v. g. Capitulo, Decano, Præposito, Abbati, vel alteri Ecclesiastico.

44
Pontifex per totum orbem confert.

Dico Secundò, Summus Pontifex est generalis collator, habens generalem potestatem conferendi omnia beneficia in quaui diocesi. ratio est, quia est supremus dispensator bonorum ecclesiasticorum, & Superior omnium Episcoporum & Ecclesiasticorum, atque adeo Ordinarius Ordinarium totius orbis; vt ait Glossa in cap. Felicis. §. fin. de penis, in 6. & cap. vt. Per principalem. 9. q. 3. vnde non minus quam particularis Episcopus potest Ecclesijs ministros dare, & Ecclesiastica officia conferre, sicut vbique potest sacros ordines administrare. Porro tribus modis potest beneficia conferre, vt docet Rebuffus in sua praxi §. de deuolutionibus, num. 66.

45
Tribus modis potest beneficia conferre.

Primò, Iure præuentionis, vt quando alicui confert gratiam expectatiuam ad beneficium primò vacaturum; vt patet cap. Dudum. 1. 4. de præbendis, in 6. Secundò, Concurrente cum alijs collatoribus, cap. Quia. 1. de concessione præbendar, & Panorm. ibidem num. 5. quo modo semper potest conferre, quia concurrat cum quolibet Ordinario in potestate & iurisdictione. Necessè tamen est vt in hoc casu referret vel conferat beneficium ante Ordinarium; alioquin collatio Ordinarij erit valida, argumento cap. Si eo tempore. 44. de electione, in 6. Hæc ratio etiam Legatis à latere concedi solet vt beneficia conferant, cap. Si à sede, 31. de præbendis, in 6. & DD. ibidem. Tertio, Confert Iure deuoluto; vt quando ratione criminis, (v. g. ob simoniam confidentiæ) vel ratione negligentia collatoris, ius conferendi deuoluitur ad Pontificem ex depositione Canonum. eodem Iure semper confert Episcopus, quando inferiores collatores sunt negligentes.

Quando fit deuolutio.

Vbi Notandum est Primò, Dignitates infra Episcopatum & Abbatiam, & alia beneficia, regulariter conferri debere intra sex menses; alioquin deuoluunt ad Superiorem; cap. Nulla. 2. de concessio. præbend. & alibi. Simili modo si patronus laicus non præsentet intra quatuor menses, & Ecclesiasticus intra sex, beneficium efficitur

liberum; eiusque dispositio deuoluitur ad eum, cuius est instituire præsentatum. vt patet ex dictis dubitat. 6.

Notandum Secundò, Quod ad Episcopatum & Abbatiam atinet, si electores per tres menses absque legitimo impedimento neglexerint eligere, deuoluitur electio ad proximum Superiorem, qui cum consilio Capituli sui Ecclesiæ prouidebit. Quòd si hic etiam per totidem menses neglexerit, puniendus est secundum Canones, & Summus Pontifex prouidebit, cap. Ne pro defectu. 41. de electione. In inferioribus beneficijs, si ad Episcopum vel Capitulum spectet collatio, siue coniunctim siue diuisim; tunc negligente Episcopo per sex menses, deuoluitur ad Capitulum, & contra, singuli autem ad quos fit deuolutio, habent sex menses in inferioribus beneficijs. vide plura apud Rebuffum, §. De deuolutionibus.

47
Quo modo & ordinè.

Notandum Tertio, Pontificem rarius vt Iure præuentionis & concursus, vt confusio & lites vitentur, & idè in multis Ecclesijs reseruasse sibi certos menses, quibus confert, reliquis relictis Ordinario. Porro causa cur sibi aliqua beneficia reseruauerit, suoque Iure interdum in conferendo utatur, est, vt Ecclesiasticorum & Ecclesiarum, quæ sunt per orbem, maior sit communicatio & coniunctio cum Ecclesia Romana matre sua, dum non solum in spiritualibus; (quæ sæpè parum curantur), sed etiam in temporalibus & prouentibus Ecclesiasticis ab ea dependent. quò enim in pluribus ab ea dependent & ad eam confugere debent, eò magis eam reuerentur, amant, & in ijs, quæ ad fidem, mores, & sacra ministeria pertinent, se illi submitunt. Quòd si in nullo ab ea dependere, facillè vnio Ecclesiæ per schismata dissolueretur.

48
Cur Pontifices reseruant reseruaciones mensium, &c.

Notandum Quarto ex Couarr. l. 3. variarum cap. 20. nu. 9. consuetudine receptum esse vt Episcopi existentes in Curia Romana, non possint vlla beneficia conferre, etiam si vacent in propria diocesi; sed necessum esse vt Curiam exeant ad ea conferenda; possunt tamen in aliena diocesi. Quæ autem in Curia vacauerint, ea pertinent ad Pontificis dispositionem. Talia sunt eorum, qui sunt de Curia Romana, & eorum qui Romæ moriuntur, aut prope Romam ad duas dietas; id est, 40. milliaria Italica. denique eorum, qui ibi resignant aut permutant; vt patet ex regulis Cancellariæ.

49
Episcopi non conferunt in Curia.

Petes, Vtrum sede Episcopali vacante, vel Episcopo suspenso, Capitulum possit conferre beneficia, quæ ad liberam Episcopi collationem pertinebant.

50
Capitulum sede vacante.

Respondeo, Non posse conferre. cap. Illa. 2. Ne sede vacante; nec ad ea præsentare; vt docet Ioannes Andreas in cap. vnicum, Ne sede vacante, in 6. potest tamen Capitulum tunc instituire præsentatos à patronis, quorum institutio ad Episcopum pertinebat, cap. primo de institut. in 6. Item potest conferre ea, quorum collatio communiter erat Episcopi & Capituli, cap. Si ad Episcopum; Ne sede vacante, in 6. Secus tamen si collatio erat solius Episcopi, etsi ex consilio Capituli. vide Rebuffum supra, §. De deuolutionibus, num. 70. & seqq.

DUBITATIO XI.

Si Episcopus conferat beneficium absenti per litteras aut nuntium, Vtrum possit reuocare collationem, & alteri conferre antequam iste acceptauerit.

51
Beneficium
collatum
absenti.

Respondeo, Non posse, vt expressè habetur c. Si tibi absenti, de præbendis, in 6. Imò si alteri conferat antequam ille recuauerit acceptare, collatio viribus non subsistet, vt ibidem dicitur, quod idè constitutum est, non quòd per talem collationem acquisitum sit dominium ante acceptationem; sed quia non decet Episcopum variare. secus est de donatione rei suæ, quæ non valet ante acceptationem: vnde liberè potest reuocari, imò quamdiu res tradita non est, si alteri donetur aut vendatur, valet secunda dispositio, vt supra cap. 18. dub. 6. & c. 21. dub. 19. dictum est. Potest tamen Episcopus illi præscribere tempus, intra quod teneatur acceptare. quo elapso, si non acceptauerit, poterit alteri conferri si tamen acceptes antequam alteri conferatur, tum erit beneficium, quamuis terminus iam sit elapsus. patent hæc omnia ex d. cap. Si tibi absenti. 17. de præbendis, in 6. & apud Couarruiam lib. 3. variar. c. 16. num. 4.

Sequitur nunc vt dicamus de conditione & qualitate eorum, quibus beneficia conferenda.

DUBITATIO XII.

Vtrum aliquando liceat conferre beneficium indignis.

52
Indignus.

Notandum, *Indignum* dici, qui ad officium præstandum est ineptus ratione infamiae, prauæ vitæ, ignoratiæ, morbi, vel similis impedimenti: vel putatur non futurus utilis, nec satisfactorius officio. Potest enim quis censeri indignus vel ratione conditionis præsentis, quæ non tollitur; vel futuræ. Dignissimus autem censetur, non qui doctissimus est aut sanctissimus; sed qui omnibus consideratis putatur optimè officio satisfactorius, Ecclesiæque futurus vtilissimus. His positis

53

Respondeo & Dico Primò, Numquam licere beneficium Ecclesiasticum conferre indignis, modò aliqui reperiantur digni, quibus conferri possit. Probat ex cap. Cùm in cunctis. 7. de electione, vbi tria requiruntur vt quis censetur dignus beneficio habente curam animarum, ætas conueniens, probitas morum, & scientia debita: & Clerici, qui aliquem contra prædictam formam elegerint, eo ipso priuati sunt potestate eligendi pro illa vice, & triennio à suis beneficijs suspensi. Episcopus autem si contra fecerit aut consenserit fieri, amittit similiter potestatem conferendi. vide tamen aliquas limitationes & explicationes huius cap. in cap. Si compromissarius. 9. Si verò, de elect. in 6. & cap. Graue nimis, 29. de præbendis. vbi præcipitur vt beneficia non conferantur indignis; qui contra post secundam correptionem fecerit, iubetur suspendi à beneficijs conferendis. ratio est, quia beneficium datur propter officium: ergo

Triarequisita vt quis sit dignus beneficio.

Pœna ineligentes indignum ad curam animarum.

qui ineptus est ad officium præstandum, iure naturæ est arcendus à beneficio. Confirmatur, quia omnes ferè hæreses & mala Ecclesiæ hinc orta sunt, quòd indignis beneficia fuerint collata. dum enim Episcopatus conferuntur hominibus indoctis vel improbis, qui nihil minùs quàm de munere Episcopali sunt solliciti, necesse est vt etiam Parochi similes instituantur. tales enim Episcopi parum curant quales habeant Parochos. Quòd si Parochi indocti, vel etiam improbi sint, necesse est Christianam plebem in fide & moribus non rectè instrui: hæc autem non rectè instructa, & malà vità suorum Superiorum scandalizata, facilis est ad novos Doctores, reformationem & purum verbum Dei promittentes, excipiendos; maxime cùm videat illos eloquentia, doctrina, & externa vitæ probitate suis Parochis & Episcopis præstantiores. Sanè si nascente hæresi Lutheri tales fuissent vbiq; Episcopi & Parochi quales esse debuissent, facile illam in semine oppressissent. Hoc optimè significatur in parabola Domini Matth. 13. *Dum dormirent homines, venit inimicus homo, & superseminauit zizania;* vt explicat D. August. lib. 99. in Matth. cap. 11. & Chrylost. Hom. 47. in Matth. Ex quo patet, quanti momenti sit vt Principes quàm maxime idoneos ad Prælaturas promoucant.

Dixi, *Modò aliqui reperiantur digni*, quia si nullus talis inueniatur, vel si inueniatur & non admittatur, (sicut interdum fit in locis Septemtrionalibus) poterit conferri indigno ad maiora mala impedienda; nempe ne deueniat ad hæreticos, vel alios magis indignos: hic enim etiam absolute non sit dignus, tamen respectu aliorum, qui haberi possunt, dignus censetur. Vbi tamen ei beneficium collatum est, tenetur se præstare dignum, & satisfacere officio, tum per se, tum per alios, quantum commodè potest: alioquin tenebitur ad fructuum restitutionem. ratio est, quia lege iustitiæ obligatur ad præstandum munus sui officij, & consequenter ad se reddendum idoneum officio quantum potest.

Dico Secundò, Vt collator sit securus, non solum requiritur vt nesciat illum, cui confert, esse indignum, sed debet etiam positiuè scire esse dignum; vt rectè Adrianus in 4. tract. de restit. q. de dispensatione beneficiorum. ratio est, quia ex officio tenetur quantum in se est curare vt conferantur dignis. ergo debet positiuè iudicare esse dignum. quod intellige non de certa scientiâ, sed de probabili iudicio, quod pro rei magnitudine, magis vel minùs certum esse debet. Idem dicendū de patronis qui habent ius præsentandi; grauius enim peccant si aliquem præsentent, de cuius vita, moribus & doctrina non sint satis informati per viros probos & idoneos, ita vt meritò possint confidere esse idoneum; vt colligitur ex cap. Graue nimis, de præbendis. Tales enim patroni sunt causa cur beneficia conferantur indignis, cum maximo Ecclesiæ damno: nam Prælati Ecclesiasticus, qui instituit, non potest præsentatum repellere, nisi ferè sit euidenter esse indignum, cap. 32. Decernimus. 16. q. 7. & alibi. hoc autem vt euidenter fiat, valde est difficile. deinde vix audet rem exactius discutere, præsertim quando patronus est Princeps secularis.

Dico Terziò, Et si omnis conditio, quæ reddit hominem indignum beneficio, sufficiat ad irritandam

54
Omnia pe-
nè Ecclesi-
mala ex
promotione
indignorum
ministeriorū.

55
Quando
possit con-
ferri indi-
gno.

56
Debet scire
esse dignū.

Idem di-
cendum de
patronis.

57

tandam collationem vel electionem indigni, non tamen omnis reddit ipso facto collationem irritam, vt infra dicitur. vide Nauar. in cap. Si quando. §. de rescriptis, exceptione 16. & 17.

DVBITATIO XIII.

Utrum pratermissis dignioribus, liceat interdum conferre dignis.

58 **R**espondeo & Iri quibusdam euentis licitum esse. Primò, si patronus præferat dignum; huic enim debet conferri, etsi sint alij magis idonei. 16. q. 7. cap. Monasterium. & c. Decernimus. quod limita, nisi sit beneficium cum cura animarum: hoc enim dandum est dignissimo; si patronus est Ecclesiasticus, vt pater ex Concil. Trident. sess. 24. c. 18. Si tamen patronus sit laicus, & præferat dignum; hic ab Episcopo instituendus est, alijs omnibus prætermittis, vt ex eodem loco Concilij constat. Pari modo, si fundator constituisset, vt si quis ex sua familia idoneus repertus fuerit, ei detur; seruandum est, etiam in cura animarum, alijs dignioribus prætermittis, vt docet Couarr. reg. Peccatum, p. 2. §. 7.

59 **S**ecundò, si beneficium ex sua institutione dandum sit alicui ex certa familia, vel oppido; (vt sunt ea, quæ dicuntur patrimonialia) vel si decreto Canonum eligendus sit aliquis ex Clericis eiusdem Ecclesiæ; tunc apertius inter eos dandum est, non alijs, etsi aptioribus. vide cap. Nullus. 13. & c. 16. Obitum. d. 61. & cap. 19. Metropolitano. d. 63. ex quibus constat, olim ministros eligi debuisse ex Clericis eiusdem Ecclesiæ, si aliquis erat idoneus. Simili modo Pontifex eligendus est ex Collegio Cardinalium; modò aliquis inter eos sit idoneus. cap. Oportebat. 3. cum sequenti, dist. 79. ex Concilio sub Stephano Papa III.

Tertio, si aptiores reseruandi sint beneficijs parochialibus, eò quòd pauci benè idonei ibidem reperiantur; tunc enim illis prætermittis beneficia sine cura, quamuis opima, debent conferri minus dignis, vt rectè notauit Adrian. supra. ratio est, quia in dispensatione beneficiorum magis spectanda est spiritualis utilitas Ecclesiæ, quam commodum temporale ministris.

60 **Q**uartò, si plures sint electores, & paucorum suffragia inuolunt in dignissimum; tunc si meum suffragium nihil esset profuturum dignissimo, proderet tamen ad vitandam electionem indigni, vel minus digni, teneor, omisso dignissimo, conferre illud in dignum vel digniorem. ratio est, quia in hoc casu si dem suffragium in dignissimum, ipsi non prodero, & Ecclesiæ obero: quod Ecclesiæ incommodum vitare possum, si faueam digno. Neque hinc cum alijs ad opus malum concurro; quia eligere minus dignum, non est malum, nisi quando spes est posse obtineri digniorem.

61 **Q**uintò, si quis resignet beneficium suum in fauorem alterius, non est necesse vt quærat dignissimum. Ita Caietanus v. Beneficium, & alij: sic enim recepta consuetudo habet. ratio est, quia non incumbit illi ex officio præferre Ecclesiæ ministrum; & aliàs confert id quod suum est, & propter quod, cum possideret, non tenebatur plus facere, quam mediocriter idoneus faceret: vnde non facit iniuriam Ecclesiæ, talem sibi substituendo.

quamuis si multò dignior se offerat vel in promptu sit; & charitas boni communis obliget vt hic præferatur.

DVBITATIO XIV.

Utrum extra hos casus beneficia semper sint conferenda dignissimis.

Respondeo & Dico Primò, Electores, Præsentatores, & Collatores semper tenentur, quantum in ipsis est, curare vt dignissimis beneficia conferantur. Est communis sententia DD. D. Thom. q. 63. art. 2. ad 3. *Vt electio non possit impugnari in foro iudiciali, sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem; quia sic omnis electio posset habere calumniam. Sed ad conscientiam eligentis necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune.* Ibidem ad 1. docet, Prælatum posse eligere consanguineos suos, si æquè digni sint; non autem si alij sint digniores. Idem docet infra quæst. 185. art. 3. Ioannes Maior in 4. d. 24. q. 3. Nicolaus Lyranus in illud Ioannis 21. *Simon Ioannis diligit me plus his?* D. Anton. 2. p. tit. 1. cap. 20. §. 1. Angelus v. Electio, n. 10. & 21. Caiet. v. Acceptio personarum, & in locum D. Thomæ citatum. Adrian. in 4. qu. citata, Siluester v. Electio, & v. Acceptio personarum; Nauarr. in cap. Si quando. §. de rescriptis, except. 16. num. 10. Sotus l. 3. de Iustit. q. 6. art. 2. & alij Theologi passim. Et quamuis Alexan. Halensis p. 2. q. 136. §. 2. putet solùm in Episcopatibus esse peccatum, prætermittere digniorem; non autem in minoribus beneficijs; alij tamen Theologi id generatim de omnibus habentibus curam animarum docent. Accedunt multi Iurisperiti, quos refert & sequitur Couarruias ad regul. Peccatum, p. 2. §. 7. num. 4. vt Pannorm. Rochus, Ludouicus Gomezus, Cæsar Lambertinus, & alij, & addit Couarruias, eam esse communem. Probatur Primò Exempla sacrae Scripturæ, vt electione Aaronis Leuit. 8. vbi Dominus indicauit se velle præstantissimum eligi, dum omnibus Principibus ad ostium tabernaculi adductis, eius solius virgam florere fecit. in quem locum Origenes Hom. 6. (habetur Can. Licet. 8. quæst. 1.) sic ait: *Requiratur ergo in ordinando Sacerdote etiam populi presentia, vt sciant omnes, quod qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligatur ad sacerdotium.* Item electione Saülis 1. Regu 10. vbi eligitur qui ceteris eminebat, & quo non erat melior in Israël. quod explicans Gregorius lib. 4. c. 4. in lib. 1. Regum, fuse docet, dignissimum eligendum. Idem docet cap. 5. vbi multa pulchrè in hanc sententiam. Idem cernitur in electione Davidis, & in electione Petri: cum enim Dominus Ioan. 21. Petrum Ecclesiæ vellet præficere, non solùm rogat an ipsum diligeret, sed an plus ceteris diligeret, & ter rogat. Apostoli etiam Actor. 1. conati sunt optimum eligere.

Probatur Secundò Ex Iure Canonico; nam cap. vnico, tit. Vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur, Innocentius III. inter cetera sic ait: *Non ex affectu carnali, sed discreto iudicio debuisti Ecclesiasticum officium in personam magis idoneam dispensare.*

Tertio Probatur ex Patribus; vide Origenem in 1. Ex Patribus.

58 Dignior potest prætermitti quinque euentis.

62 Dignissimi præferendi.

Alex. Halensis opinio.

1. Exempla Scripturæ probatur.

63 2. Ex Iure Canonico.

3. Ex Patribus.

suprà. Hieronymus in cap. 1. epist. ad Titum: *At nunc, inquit, cernimus plurimos hanc rem, (id est, electionem) beneficium facere, ut non quarant eos qui possint plus Ecclesie prodesse, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequijs delimiti.* Chryost. l. 3. de sacerdotio, parum ante medium: *Equidem non opinor aliunde tam multas in Ecclesia turbas nasci, quam ex Episcoporum & Antistitum electionibus, casu potius ac remere, quam diligenter & accurate factis: nam caput valentissimum esse oportet, &c.* Augustinus epist. 29. ad Hieronymum, non procul à fine: *Quis ferat eligi diuitem ad sedem honoris Ecclesie, cõtempo paupere in struere ac sanctorum? Idem docet Leo epist. 84. c. 6. & Bernard. lib. 4. de considerat. ad Eugenium, & in Declamatione, Ecce nos reliquimus omnia.*

Idem confirmatur ex quadam pragmatica sanctione Cõcilij Basil. sess. 12. ubi decernitur, *ut electores iurent Deo & sancto Ecclesie patrono in qua est præbenda, se electuros quem noverint digniorem.*

Probatur Quartò ratione; Quia beneficia primariò sunt instituta ad cultum Dei & Ecclesie utilitatem; secundariò ut sint præmia virtutum, quibus digniores in Ecclesia honorentur & iuentur: atqui contra utrumque finem est, si digniores & Ecclesie viliores omittantur, & in iis conferendis spectetur consanguinitas, aut priuata amicitia, aut commendatio potentium.

Dico Secundo, Ad beneficia habentia curam animarum vel aliam functionem magni momenti in Ecclesia, eligere, postulare, aut præsentare dignum; omisso digniore qui in promptu est, est peccatum mortale. Idem dico de conferente, qui liberè confert. Dignorem voco, qui notabiliter dignior & aptior videtur, speraturque multò melius functurus officio: nam si paruus vel dubius sit excessus, non erit peccatum mortale. Colligitur ex DD. suprà allatis, probaturque iisdem testimonijs; nam ea maximè agunt de talibus beneficijs. Idem colligitur ex Concil. Trident. sess. 24. c. 1. de reformat. ubi dicitur: *Omnes & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quomodocumque ius habent, mortaliter peccare, nisi quos digniores & Ecclesie magis utiles ipsi inducauerint, non quidè precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus; sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curauerint.* Et quamuis ibi loquatur de Episcopatus, tamen idem sentire de paræcijs, patet manifestè ex cap. 18. de quo infra dub. 16. Eadem ratio locum habet in alijs omnibus magni momenti beneficijs. Talia sunt præter Cardinalatum, Episcopatum, Archidiaconatum & Paræciam; Decanatus, Præpositura cum iurisdictione, Canoniciatus affectus onere docendi vel concionandi, aut penitentiariæ. Denique Abbacia, Prioratus, & similia. Ratio est, quia qui omittit digniorem, facit contra fidelitatem, quam Ecclesie ex officio debet, (iuxta illud Matth. 24. *Quis putat, est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?*) idque in re graui fidem debitam violare, est peccatum mortiferum, ut suprà c. 32. n. 16. & 17. in simili diximus: ergo qui præsentant, vel eligunt, vel beneficia liberè conferunt, grauius peccant, si digniores præmittant, siue sit Papa, siue Episcopus, siue Princeps secularis: non enim

sunt domini beneficiorum, sed æconomi: vnde tamquam æconomi tenentur rem domini sui, quantum commodè possunt, promouere. Confirmatur, quia in beneficijs est peculiaris ratio, quæ non in alijs. nam totum ferè Ecclesie bonum in fide, moribus, & ritibus sacris, pendet ex bona ministrorum electione: sicut è contrario totum ferè malum ex mala prouisione: atqui nisi quàm maximè idoneos eligere conemur, periculum est ne sæpè parum apti præficiantur; quia tam multa requiruntur, ut non raro qui valde apti videntur, reipsa parum aptos esse, experientia & successus rerum demonstret: ergo ne in tales impingamus, tenemur in re tanta sub peccato mortali eligere aptissimos. quod non solum verum est de electore & collatore libero; sed etiam de patrono, ut rectè Couarr. suprà, contra Caxarem Lambertinum, qui sine iusta ratione id negat.

Dico Tertio, In ceteris beneficijs, ut in Canonibus, Cappellis, &c. nõ videtur peccatum mortiferum semel vel bis præmittere digniorem, modò conferantur ei, qui verè dignus sit: videtur tamen esse mortiferum si quis id passim faciat, aut si raro curet ut digniores præferantur. Prior pars est Alex. Halensis, & Soti suprà, Gabrielis in 4. d. 15. 7. a. 3. ubi pro eadem citat Antoninum, & alios. Idem docet Angelus suprà, & sentire videtur D. Thom. quodlib. 6. a. 9. licet obscure, citantque illum Angelus & Gabriel. Denique multi recentiores, ut Petr. Nau. l. 2. c. 2. n. 148. Emmanuel Sá, verbo Beneficium, Petrus Arrag. in qu. 63. art. 2. Ratio est, quia quòd semel vel iterum dignior præmittatur in huiusmodi beneficijs, non censetur notabile incommodum, aut notabilis iniuria in Ecclesiam: paucorum enim mediocritas, aliorum virtute facilè compensatur.

Dices, Fit iniuria digniori, qui postponitur; nam ei lege Iustitiæ distributiua debetur. deinde est contra Ecclesie & ipsorum fundatorum intentionem, quorum mens est ut dignissimis conferantur.

Ob hæc argumenta multi DD. tenent esse peccatum mortale, præsertim si dignior sese offerat. Ita Couarr. ad regulam Peccatum, p. 2. §. 7. nu. 4. Caiet. q. 63. art. 2. Salonijs ibidem. in eadem sententia videtur esse D. Antoninus suprà: quia violationem Iustitiæ distributiua putat esse peccatum mortale, & Nauarr. de oratione miscella. 38.

Sed responderi potest ad Primum, Non fieri propriè iniuriam digniori, quia non est ei debitum stricto Iure, sicuti debetur præsentato vel electo: sed solum largo, quod consistit in maiore apertudine & proportionem: hoc autem Ius violare, non est per se peccatum mortiferum, neque violatio Iustitiæ distributiua; semper est peccatum mortiferum, nisi redundet in violationem Iustitiæ commutatiua; ut rectè Sotus ait.

Ad Secundum, Est quidem contra Ecclesie & fundatorum intentionem; sed in re, quæ ad bonum Ecclesie nõ est tanti momenti. Fateor tamen, rationes istas facere illam sententiam valdè probabilem; & ex illis confirmatur altera pars nostræ propositionis: qui enim sæpè hoc faceret, vel non curaret præponere digniores, conferret grauius peccare contra fidelitatem Ecclesie debitam, eiusque magnum bonum negligere: magni enim interest ad bonum Ecclesie ut diuina officia quàm decentissimè & deuotissimè celebrentur, ut Canoni-

Quartò,
Ratione.

64.
Est peccatum
mortale
omittere
digniorem
in maiori-
bus bene-
ficijs.

Conc. Tri-
dent.

65

66

In quibus
non sit pec-
catum
mortale.

Obiectio.

67

Resp.
Non fit
propriè ini-
uria di-
gniori.

Si sæpè fe-
ret, esset
p. m.
68

nonici & alij sacrorum administri doctrina & probitate populo prae luceant. Denique ut spē beneficij obtinendi plurimi ad probitatem vitae & studia literarum incitentur; sunt enim beneficia ex Ecclesiā & fundatorum destinatione non solum stipendia ministeriorum, sed etiam premia virtutum: atqui hic stimulus tollitur, si dignioribus praetermissis, fauore & affectu carnali dispensentur.

Ex his patet, semper esse peccatum, saltem veniale, digniorem & aptiorem praetermittere. si autem id saepe fiat, esse peccatum mortiferum, quod si ex sua institutione habeat ut debeat dari digniori vel per oppositionem, tunc semper est peccatum mortale.

69
Obiectiones
contra se-
cundum
dictum.

Contra secundam propositionem obiicitur Primò, Iura antiqua & noua solum requirunt ut beneficia conferantur dignis, nam Concil. Trident. sess. 7. cap. 3. de reformat. solum requirit, ut etiam beneficia curata dignis conferantur, & citat constitutionem Alexandri III. & Gregorij X. in quibus id ipsum statuitur.

Respond. Concilium hoc solum requirit, non ut collatio sit sine peccato, sed ut non sit irritanda in foro externo, ut patet ex verbis sequentibus, aliter facta collatio omnino irritetur. Eodem modo intelligi possunt quidam Canonistae, dum dicunt sufficere ut eligatur idoneus, ut notat Couarruias supra. Quod autem Concilium velit ad paritatem eligi dignissimos, patet sess. 24. cap. 18. de reformatione.

Obiicitur Secundò, Iuxta antiquos Canones non solent beneficia conferri nisi presbyteris & Clericis eiusdem Ecclesiā, ut patet ex cap. Nullus, & cap. Obitum. d. 61. ergo non sunt quarendi dignissimi.

Respond. Idcirco hoc solet fieri, & in multis locis adhuc seruatur, quia plerumque hi solent esse vtiliores & fideliores suae Ecclesiā quam extranei; magis enim ei afficiuntur, magisque omnia norunt, cum sint in ea educati: firmiter quoque resident.

Obiicitur Tertio, Apost. ad Tim. 3. & ad Titum 1. enumerans conditiones Episcopi, solum requirit ut sit sobrius, pudicus, doctor, hospitans, irreprensibilis, &c. non autem requirit ut sit ceteris omnibus dignior.

70 Respond. Tot conditiones requirit Apost. ut rarissimi sint qui eas omnes habeant. vnde etiam qui dignissimus visus fuerit, vix implebit Apostoli formulam.

Minus idoneus potest se offerre.

Quarto, Si collator teneretur conferre digniori: ergo is qui se putat minus dignum, non poterit se offerre, nec acceptare collationem; quia aliqui consentiret peccato alterius: petere enim aliquid sibi praestari, quod alter non potest sine peccato praestare, est peccatum. similiter in illud consentire.

Respond. negando conseq. Etsi enim alius videatur aptior, potest tamen iudicium totum relinquere electori vel collatori. cuius est vtriusque merita & dotes examinare. hoc enim iudicium non est eius cui fit collatio, sed eius qui confert aut eligit: vnde bona fide potes te illi offerre, non quidem desiderando & petendo absolute ut tibi conferat, etiam si alterum iudicet fore vtiliorem; (hoc enim peccatum esset) sed sub conditione, si bona fide iudicaueris te non minus vtile fore &

quamuis tu putes alterum esse magis idoneum, potes tamen tecum statuere diligentia compensare quantum aliis dotibus videris superari. Quod si certo existimes collatorem non iudicio sed fauore te praetulisse, hoc tibi non imputabitur, si hoc neque petisti, neque animo desiderasti, sed bona fide sollicitasti, vel non sollicitanti tibi est oblatum.

DYBITATIO XV.

Vtrum is, qui sibi vel alteri minus digno procurat beneficium, omisso digniore, teneatur digniori aliquid restituere.

Paludanus in 4. dub. 15. q. 2. ar. 2. & Caietanus 71 q. 62. ar. 2. dub. 3. affirmant. ratio est, quia beneficium illud secundum Iustitiam distributivam debitum est digniori. addit tamen Caietanus, eum non teneri qui sibi procurat, non intendens impedire digniorem: secus vero de eo, qui ita procurat sibi, ut non curet de impedimento dignioris.

72
Respond. & Dico Primò, Probabilis est talem beneficiarium non teneri ad restitutionem, modo sit verè idoneus, & beneficium non fuerit per oppositionem conferendum. est sententia Scoti & Richardi in 4. d. 15. ut fatetur Caietanus. Idem tenet Adrianus in 4. q. Quia iam determinatum. Sotus lib. 4. qu. 6. ar. 3. ad 6. Couar. ad regul. Peccatum. p. 2. §. 7. nu. 7. Nauar. c. 17. num. 72. & multi alij. Probatur, quia neque Ecclesiā, neque digniori tenetur: ergo non tenetur. Non digniori, quia ille non habet Ius strictum ad illud beneficium; sed largum dumtaxat, consistens solum in maiori aptitudine, ut ante dictum est: vnde non fit ei proprie dicta iniuria.

73
Dices, Si distributor ex bonis communibus mihi debeat centum, & non det nisi quinquaginta, tenetur ad restitutionem quinquaginta; quia in illis violauit Iustitiam commutativam, ut colligitur ex D. Thoma q. 62. ar. 1. ad 3. ergo cum beneficia sint bona communia debita dignioribus, & ego sim dignior, si mihi non contulerit, tenebitur ad restitutionem. Hoc argumento potissimum commoti sunt Paludanus & Caietanus.

74
Resp. Hoc tantum esse verum in communibus, quae praecipue ideo data sunt communitati, ut pro dignitate cuiusque, vel inopia, vel eruditione, vel meritis distribuantur; ut rectè Sotus & Couar. respondent: at beneficia non sunt talia bona communia; non enim sunt principaliter premia meritum & dignitatis cuiusque, ut Paludanus & Caietanus velle videntur; sed stipendia ministeriorum Ecclesiā: quia potissimum & ferè ob vnicam hanc causam sunt instituta, ut sint stipendia eorum, qui Ecclesiā deseruiunt: vnde dignissimi eligendi, non quod ipsis haec proprie sint debita, sed quia Ecclesiā debitum est, ut quàm optimi ministri, qui pro illis quasi stipendijs haberi commodè possunt, adfiscantur. Itaque si qua esset obligatio restitutionis, ea esset erga Ecclesiam, non erga digniorem praetermissum.

74
Sed quod neque Ecclesiae obligentur restituere, non obligari Ecclesiae. probatur; quia Ecclesia non intendit collatores & patronos sub onere restitutionis obligare ad procurandum semper maius bonum, & digniores ministros; modo procurent eos, qui verè sint digni

digni & vtilis: neque collatores censent se sub tali onere obligari; idque tum ob multas perplexitates; quæ inde quotidie orientur; tum quia Ecclesia non videtur damno affecta, quamuis maius bonum non sit procuratum. Idem dico de æconomio Principis, qui non conduxit optimos operarios, sed mediocres.

Si non sit idoneus.

Dixi, *Modo beneficiarius sit idoneus*; si enim non sit idoneus, tenebitur is qui procurauit, ad restitutionem, nõ quidem digno vel digniori, sed Ecclesie, quæ debito ministerio caruit, vel etiam damnum accepit, vt rectè Couar. supra, nu. 3. & Sotus l. 4. q. 6. ar. 3. ad 6. vel certè pauperibus, vt quidam volunt, argumento c. 1. fell. 23. Conc. Trid. §. Si quis autem. de quo infra n. 157. & fell. 9. Conc. Lateran. de quo n. 175. & 177. quod intellige, nisi beneficiarius, qui primo loco tenebatur, restituar.

Si officium per alios præstitum.

Si Ecclesia nullum damnum passa est, & officium per alios præstitum, ad nihil tenebitur auctor.

Si dandum per oppositionem.

Dixi, *Modo beneficium non fuerit dandum per oppositionem*: quando enim per oppositionem datur, tunc dignior ius strictum habet ex lege, vt rectè Nauarrus c. 17. n. 74. Itaque si non admittitur ad examen, vel examinatus & manifestè dignior alijs repertus rejicitur, fit ei propriè iniuria: vnde collator ei tenetur ad damnum faciendum iudicio prudentis; si tamen manifestè & notabiliter dignior sit, nam si parius tantummodò sit excessus, non tenebitur.

Si putet se idoneum.

Dico Secundò, Qui institutus est, si verè se putet idoneum, non tenetur resignare, etiam si alterum iudicet magis idoneum. ratio est, quia ipsi non incumbit Ecclesie ministros dare, sed satis est vt pro sua virili satisfaciatur officio.

Obiectio.

Dices, Hinc tantum sequi, illum non teneri ex officio, seu lege iustitiæ: poterit tamen ex charitate teneri.

Resp. Quidò tenetur ex charitate.

Respondeo, Id quidem fieri posse, sed rarò fieri: vt si quis certo sibi persuaderet alterum Ecclesie longè fore vtiliorem, & ipse sine notabili incommodo suo posset illo beneficio carere. Sed valde rarum est vt constet alterum longè vtiliorem fore. In dubio autem non tenetur se tanto commodo suo priuare.

77 Si inducit collatorem.

Dices, Quid si collatorem induxerit vt sibi conferret, cum sciret se minus idoneum altero?

Resp. Tunc quidem peccauit illum inducendo vt faceret contra fidelitatem; non tamen tenetur ad resignationem, modò sit verè idoneus: quia collatio fuit valida. vnde cum ipsi non incumbat optimorum ministrorum procuratio, non tenetur beneficium deserere: tenetur tamen tunc (saltem ex decencia) quàm optimè muneris suo satisfacere & diligentia supplere defectus, ratione quorum ab altero speratur.

DVBITATIO XVI.

Quæ formula seruanda in conferendis Ecclesijs parochialibus.

Respondeo, Hæc describitur à Concilio Trident. iess. 24. cap. 18. vbi Notandum est, Ecclesiam parochialem vacare posse ratione obitus, vel resignationis simplicis, vel permutationis, vel delicti. Item ius patronatus esse Ecclesiasticorum vel laicorum. Nunc

Dico Primò, Si parœcia vacet per obitum vel crimen, & ius patronatus sit Ecclesiasticorum, Episcopus, & patronus, intra certum tempus ab Episcopo præscribendum, debent aliquot Clericos, qui videantur idonei ad Ecclesiam illam regendam, nominare. Ita Concilium. vbi Nota, posse Episcopum etiam per publicum edictum conuocare omnes, qui volent se offerre; & quemuis posse suggerere si quos nouit idoneos: & hi omnes sunt describendi, vt ibidem dicitur.

Dico Secundò, Transacto tempore constituto, hi omnes (nempe qui voluerint & comparuerint) debent examinari ab Episcopo, vel eius generali Vicario, & tribus saltem examinadoribus à Synodo diœcesana approbatis.

Vbi Notandum, Quotannis in Synodo diœcesana ab Episcopo vel eius Vicario lex debere proponi examinadores, qui à Synodo probentur, & ex his ad quodque examen tres minimùm pro arbitrio Episcopi debent assumi.

Secundò, Hi debent iurare se omni affectione humana postposita, fideliter munus suum executuros.

Tertiò, Nihil ratione huius examinis possunt accipere: alioquin simoniæ vitium tam ipsi quàm dantes incurrunt, à quo absolui nequeant, nisi dimissis beneficijs, etiam antè obtentis, & ad alia reddentur inhabiles. vbi Nota, simoniam Iuris humani pœna exorbitante puniri: quam tamen puto non esse receptam in beneficijs antè obtentis, ante sententiam Iudicis.

Dico Tertiò, Peracto examine, examinadores debent renuntiare quoscumque ex his idoneos iudicauerint atate, moribus, doctrina, prudentia, & alijs rebus ad vacantem Ecclesiam regendam opportunis.

Dico Quartò, Ex his Episcopus eum eligere debet, quem ceteris magis idoneum iudicauerit, & huic, non alteri, collatio fiet ab eo, cuius est cõferre. Si verò Iuris patronatus Ecclesiasticus erit, tunc patronus debet ex his eligere quem digniorem iudicabit, & hic ab Episcopo debet institui, si institutio ad eum pertineat. alioquin si ad alium pertinet, Episcopus solus eligit digniorem suo iudicio, & patronus hunc præsentabit ei ad quem pertinet instituere. vt si institutor vel collator sit Capitulum, Decanus, Archidiaconus: Episcopi enim non est solum conuocare & habere ius examinandi cum alijs examinadoribus, sed etiam eligendi digniorem, qui à patrono præsentetur instituendus.

Dico Quintò, S ius patronatus est laici, non est necesse vt fiat examen per concursum: præsentatus tamen à patrono, debet examinari à deputatis examinadoribus, & si fuerit idoneus repertus, admitti.

Dico Sextò, Omnis collatio seu institutio facta præter supradictam formam, censetur subreptitia & nulla; & collatio si pertinebat ad Episcopum, deuoluitur ad Sedem Apostolicam. hoc postremum statuit Pius V. qui etiam clarius explicuit mentem Concilij in Bulla, quæ incipit, In conferendis Ecclesijs, edita anno 1567. Kal. Aprilis.

Vbi Notandum Primò, Hoc examen ad eum esse necessarium, vt etiam in Doctore Theologiae aspirante ad parochialem Ecclesiam sit seruandum, vt respondit Congregatio Cardinalium. non tamen est necessarium in Dignitate vel Canonica-

78
1. Conuocandi mul-
ti.

79
2. Exami-
nandi.

Nihil pro
examine
accipiendū.

Simonia
Iuris hu-
mani.

80
Episcopus
eligit.

Si patronus
Eccle-
siasticus.

81
Si patronus
est
laici.

Collatio
alioquin
irrita.

82
Examen
quando ne-
cessarium.

tu, qui parochialem Ecclesiam accessoriè, etiam perpetuò annexam habet; vt eadem Congregatio censuit.

83 *Appellare potest ap- stor.* Notandum Secundò, Si Episcopus minùs habilem, postpositis magis idoneis post examen elegerit, possunt ij, qui reiecti fuerint, à mala electione huiusmodi ad Metropolitanum; vel si elector Metropolitanus aut exemptus fuerit, ad viciniorum Ordinarium, vt Apostolicæ Sedis Delegatum; aut aliàs ad Sedem Apostolicam appellare, & electum ad nouum examen coram appellationis Iudice prouocare, vt digniori detur. Interea tamen electio prior executioni mandanda est, & prouisus non potest amoueri, nisi alteri debito modo collatum fuerit. Ita Pius V. supra.

84 *Si vacet ratione resignationis.* Dico Septimò, Si Ecclesia vacet ratione resignationis facta in manibus Papæ, in fauore certæ personæ, & à Papa fuerit admissa resignatio, non debet fieri examen per concursum; sed sufficit eum examinari à deputatis examinatorebus cum Episcopo, & dignum iudicari. Ita respondit Congregat. Cardinalium. Ratio est, quia tunc Papa censetur in hoc decreto dispensare. Secus verò si collatio fit inferiori Papæ, vt Metropolitanus, vel Episcopo, vel Capitulum; tunc enim resignatione in manibus eius facta, debet fieri examen per concursum, & nisi resignatarius iudicatus fuerit post examen aprior ceteris, vel certè non minùs aptus, non potest ei fieri collatio; vt colligitur ex Concilio. ratio est, quia inferior non potest in decretis Concilij œcumenici dispensare.

85 *Si casus permutationis.* Dico Octauò, Si vacet permutationis causâ, debet nihilominùs fieri examen, & quidem per concursum, nisi permutatio fiat cum alia parochiali ferè par conditionis: tunc enim non est opus nouo examine, vt declarauit Congregatio: quia per examen antiquum vterque censetur idoneus. Quòd si fiat permutatio cum simplici, vel cum alia parochiali; vbi maior requiritur industria; debet fieri examen per concursum, vt colligitur ex Concilio.

Vbi hac non recepta. Aduerte tamen, multa ex his passim non esse recepta; quamuis ineritò omnia recipi deberent. vnde ibi non sunt irritæ collationes; quæ secundum hanc formam non sunt factæ.

DVBITATIO XVII.

Quæ conditiones requirantur in particulari, vt quis censeatur idoneus ad beneficium.

Respondeo, Possè numerari decem. Prima, Legitimus torus. Secunda, Clericatus vel Ordo. Tertia, Ætas conueniens. Quarta, Cælibatus. Quinta, Non esse irretitum censura vel irregularitate. Sexta, Morum probitas. Septima, Scientia debita. Octaua, Habilitas ex parte corporis. Nona, Intentio status Ecclesiastici. Decima, Vt non habeat aliud beneficium incompatibile.

DVBITATIO XVIII.

Quomodo requiratur legitimus torus.

86 **R**espondeo & Dico Primò, Qui est extoro illegitimo, est incapax Episcopatus, & cuius-

uis alterius beneficij habentis curam animarum, nisi per Pontificem cum eo dispensetur. Est etiam incapax simplicis beneficij: potest tamen ad hoc ei per Episcopum dispensatio dari, etiam si sit ex incestu, vel sacrilego complexu natus. Ita habemus c. 1. de filijs presbyterorum, in Sexto.

Vbi Notandum Primò, Episcopum posse cum tali dispensare ad Canonicatum etiam Ecclesie cathedralis, vt ibidem docet Glossa ex Archidiacono. Rebuffus tamen in praxi beneficiorum, §. De dispensatione super defectu natalium, pag. 269. tenet, Episcopum non posse dispensare in præbenda Ecclesie cathedralis cum illegitimo; dicitque stylum Curie Romanæ ita seruari: cuius sententia videtur tenenda post Concil. Tridentinum, in quo statuitur; vt omnibus Canonicaibus Ecclesie cathedralis sit annexus Ordo sacer, ad quem Episcopus non potest illegitimum habitare, vt d. cap. 1. habetur. Iuri tamen conformius videtur, Episcopum posse ad talem Canonicatum habitare eum, qui antè à Sede Apostolica ad Ordines sacros admissus esset.

Notandum Secundò, Episcopum non posse dispensare cum illegitimo ad Dignitatem vel Personatum etiam sine cura, secundum Glossam: quia quando Papa concedit vt alicui prouideatur de beneficio, intelligitur beneficium simplex, neque extendi debet ad Dignitatem; cap. vii. de præbendis: ergo neque hic per beneficium sine cura intelligi poterit Dignitas sine cura, aut Personatus. Confirmatur, quia non est credibile, Pontificem velle illegitimum talibus honorari, cum illum ab omni Ordine sacro excludat. Glossam sequuntur passim DD.

87 **D**ices, Quid si Canonicatus habeat annexum accessoriè beneficium parochiale, poteritne Episcopus dispensare?

Respondeo, Possè, vt docet Siluester v. Beneficium, q. 8. ex Archidiacono, quod limita cum Lapo & Siluest. modò paræcia per Vicarium administrari solet; aliàs non. Ratio est, quia accessorium sequitur suum principale. Hæc tamen omnia intelligenda sunt, nisi obstet aliquod particulare alicuius Ecclesie statutum iuratum, vel per Papam confirmatum, quo caueatur ne quis illegitimus ad beneficia illius Ecclesie promoueat.

88 **D**ico Secundò, Illegitimus etiam cum dispensatione Episcopi, non potest habere vllum beneficium vbi pater est Præfectus; (v. g. Episcopus, Præpositus, Decanus, Parochus) aut etiam vbi Canonicus. habetur c. Ad præsentiam. 2. c. Cum decorem. 15. c. Ad abolendam. 16. de filijs presbyterorum. Hoc autem idcirco Canones statuerunt, tum quia alioquin pleraque beneficia ad huiusmodi sobolem industriâ parentum peruenirent; tum quia fædum est in eadem Ecclesia parentem & filium nothum residere, totique mundo exemplum incontinentiæ paternæ, veluti cum præmio & dignitate in prole assiduè ostentari.

89 **N**otandum est, Concil. Trid. sess. 25. c. 15. de reformat. hisce canonibus aliquid noui Iuris adiecisse, Vt illegitimi beneficium habere nequeant, non solum in Ecclesijs vbi parentes actu obtinent, sed etiam vbi aliquando habuerunt, qualecumque illud sit, siue paruam, siue magnum. Nec possint habere pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes obtinent vel aliquando obtinuerunt.

runt: nec reciproca: resignationes in illorum fauorem à parentibus factæ, illis profunt.

90
Filijs legiti-
mi presbyt.

Dico Tertio, Quod ad legitimos presbyterorum filios attinet, hi possunt habere beneficia in Ecclesijs vbi eorum parentes præfident, non tamen illud ipsum, quod proximè parens habuit. Prima pars habetur cap. Ad hæc 12. de filijs presbyt. Altera verò cap. Ex transmissa. 7. & cap. Conquerente. 4. eodem. Ratio est, Ne beneficia successione hereditaria transmitti videantur: quam speciem hereditaria successione Canones semper in beneficijs valde exosum habuerunt, vt ait Concil. Trid. sess. 25. c. 7. de reformatione.

91
Si alius in-
tercessit,
filius est
capax.

Aduerte tamen, Si inter patrem & filium alius intercessit, censetur species illa successione hereditaria absterfa; & ita filius legitimus poterit illud obtinere sine dispensatione. c. Ex transmissa. 7. de filijs presbyterorum. Adde, patrem posse habere beneficium filij, quia hæc non est illa imago hereditaria successione: similiter nepotem beneficium aui: quod intellige, si adhuc pater viuuit, secus autem si pater obierit: tunc enim nepos non poterit aui beneficio frui. ratio est, quia si pater viuuit, nepos non potest succedere aui: vnde cessat imago hereditaria successione. Verùm si mortuus sit pater, nepos tunc succedit aui, vt notat Siluester Beneficium, 3. ex Hostiensis.

Beneficium
aui.

DUBITATIO XIX.

Quomodo requiratur clericatus seu ordo in singulis beneficijs.

92
Clericatus
necessarius.

Respondeo & Dico Primò, Ante omne beneficium requiritur præuius clericatus, seu prima tonsura, ita vt sine hac sis inhabilis; colligitur ex cap. Cum aded. 17. de rescriptis, & cap. Ex litteris. 6. de transactione. estque communis sententia.

Prima ton-
sura.
Proprius
Episcopus.

Episcopus
domicilij

Vbi Notandum Primò, Primam tonsuram & ordines debere conferri à proprio Episcopo. Proprius autem Episcopus hoc loco est triplex, originis, domicilij, & beneficij, vt apertè habetur cap. Cum nullus. 3. de tempor. ordin. in 6. Episcopus domicilij dicitur Episcopus loci, vbi quis habet domicilium. Dicitur autem habere domicilium, vbi quis laicem, rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, vnde rursus non sit discessurus, si nihil auocet; vnde cum profectus est, peregrinari videtur, quod si redijt, peregrinari iam destitit: vt habetur L. Ciues. 7. C. de incolis. Vnde patet, vt quis dicatur habere alicubi domicilium, requiri vt ibidem sedem fixerit, animo perpetuò manendi, nisi quid auocet. Itaque studiosi non habent domicilium in Vniuersitatibus, etiam si ibi ad 8. vel 10. annos manere statuerint, si relinquunt animum in patriam redeundi. qui verò alicubi incipiunt habitare animo perpetuò manendi, itam ibidem domicilium contrahunt; nec opus est vt multos annos habitauerint, vt patet ex dicta descriptione domicilij. Porro domicilium semel acquisitum, solo animo migrandi non amittitur; sed opus est reali migratione, vt apertè colligitur ex L. Domicilium. 20. ad municipalem; vbi dicitur, Domicilium re & factò transferitur, non nuda contestatione: sicut enim solo animo non acquiritur, ita nec amittitur. vide Panormitanum in cap. vlt. de paræcijs, & Siluest. v. Domicilium, num. 2.

Episcopus originis est Episcopus loci, cuius quis ratione originis dicitur ciuis, vel originarius. dicitur autem ciuis ratione originis, non vbi fortuitò natus est, si parentes alibi habebant domicilium, sed vbi erat illorum domicilium; vt docet Panormitanus in cap. Rodolphus. 35. de rescriptis. & Bartolus in L. Filios. 3. C. de municipibus. & apertè ex eadem L. colligitur, & ex d. L. Ciues. C. de incolis. Intè enim fingitur natus, vbi parentes habent domicilium tempore natiuitatis. Ratio est, quia etfi ad tempus alicuius negotij causà aliò recesserint, tamen censentur ibi semper mansisse; vt patet L. Retrò, de captiuis, vbi dicitur, Retrò creditur in ciuitate fuisse, qui ab hostibus aduenit. vide Silu. v. Ciuitas, quæst. 4. & Panormitanum supra.

Episcopus beneficij est Episcopus loci, vbi quis habet beneficium requirens residentiam: tale enim beneficium constituit domicilium. secus si non requirit residentiam, vel si cum eo dispensatum vt non teneatur residere; vt notat DD. in cap. Quia in tantum. 5. de præbendis.

Ex his patet, quis dicatur proprius Episcopus in tonsuræ & ordinum collatione. Quod si quis tonsuram ab alieno Episcopo sine litteris dimissorijs, vel dispensatione Pontificis acceperit, non est capax beneficij: vt docet Rebuffus, §. Formula dimissoriarum. colligitur ex cap. Illud. 1. & cap. 3. Si quis ausus. d. 71. vbi dicitur, vt si quis alicui sine consensu proprii Episcopi ordinauerit, irrita sit ordinatio. intellige quoad vsum & priuilegium ordinis seu gradus accepti, quia caret priuilegio & vlu illius.

Sed difficultas est, quid tali sit faciendum vt capax fiat. Glossa in dictum cap. Illud, putat sufficere vt proprius Episcopus postea ratum habeat, quod etiam tenet Decius & alij in cap. 1. de tempor. ordinand. in 6. probat Glossa ex cap. 24. Salomonitanæ, d. 63. vbi Gregorius I. cum Episcopus Salomonitanus esset ordinatus ipso nesciente, scribit se id ei ita ex animo relaxare, ac si ipso auctore ordinatus fuisset. vbi notat Glossa, Episcopum posse remittere quæ ad ipsum spectant: quam sententiam puto veram, etfi Rebuffus §. Formula dimissoriarum, n. 12. & 29. contrarium teneat, velique necessariò opus esse dispensatione Pontificis, & litteris, quæ vocantur perinde valere. Nec obstat, quod ordinatio talis dicatur irrita; & quod ab initio est vitiosum, non possit tractu temporis conualefcere; item quod nemo potest ratum habere, quod suo nomine non est gestum. dicitur enim irrita non quasi nihil sit actum, sed quia suspenditur, quoad vsum & priuilegium: quam suspensionem Episcopus tollere potest, cum nusquam Summo Pontifici referretur. Dicitur habere ratam talem collationem, quia consentit in illam, volendo illam valere ac si à se facta esset.

Fortè quispiam putauerit talem non esse beneficij incapacem: nam Concilium Tridentinum sess. 7. cap. 10. de reform. cum ademisset Capitulis potestatem concedendi dimissorias intra primum annum sedis vacantis, subdit, Capitulum contraueniens, Ecclesiastico subiacet interdicto; & sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo priuilegio clericali, præsertim in criminalibus, gaudeant. vbi nihil illis admittit, nisi priuilegium fori in criminalibus. Sed verius est, itum casum esse specialem, nec esse extendendum ad

cum,

eum, qui ordinatus est ab alieno, sede non vacante, aut abſque vllis dimiſſorijs.

95 Notandum Secundò, Si quis accèperit tonſuram aut ordines minores in excommunicatione, ſuſpenſione, interdìcto, non idèò eſſe incapacem beneficij poſt abſolutionem illius cenſuræ obſtanti, vt rectè docet Nauarrus contra quòſdam l. 5. conſil. 28. n. 14. pag. 608. quia accipiendo tonſuram vel ordines minores in cenſura, non incurritur alia cenſura vel irregularitas, aut alia inhabilitas ad beneficia: vnde ſublata priore cenſura, manet omnino habilis per ordinem ſuſceptum. Secùs eſt ſi quis ordinem ſacrum in cenſura accipiat; quia incurrit ſuſpenſionem, cap. Cùm illo- rum. 32. de ſententia excommunicationis.

96 Dico Secundò, Si beneficium ex inſtitutione requirit certum ordinem, qui illo ordine caret, eſt inhabilis ad illud beneficium: ſicut enim poſſeſſor in cap. Dudum. 1. de elect. talia ſunt beneficia illa, quæ ex litteris ſuæ inſtitutionis debent dari ſacerdotibus, vel diaconis. ratio eſt, quia fundator poſuit fundationi talem modum apponere, cùm rationi & Canonibus ſit conformis.

97 Aduerte tamen, longam conſuetudinem poſuiſſe illum rigorem mitigare: ſicut enim poſſeſſor derogare legi, ita etiam diſpoſitioni fundatoris, quæ eſt inſtar legis. vnde ſi talia beneficia alicubi conſueuerunt dari iis, qui nondum ſunt ſacerdotes, puto valere; præſertim ſi intra annum ſiant ſacerdotes, vel certè ſubdiaconi; vt abſolutis ſtudijs ſacerdotium capeſſant: iuxta eam moderati- onem, quam lus conceſſit Parochis, qui tamen maxime deberent eſſe ſacerdotes, dum parochiam acceptant. vnde eadem conuenienter applicatur huiusmodi beneficijs. Vide Emanuelem 5à v. Beneficium, numero 27. vbi pro eadem ſententia citat Nauarrum.

98 Dico Tertio, In ceteris beneficijs non requiritur certus ordo præuius; ſed ſufficit prima tonſura, & habitas ad ſuſcipiendum intra annum ordinem beneficio conuenientem. patet ex Clement. Vt ij, de ætate, qualitate, & ordine præſc. excipio tamen Episcopatum, ad quem requiritur ſaltem ſubdiaconatus. cap. A multis. 9. extr. eodem. Hæc vera ſunt iure antiquo. Sed quia Concilium Trident. quædam nouo iure de his diſpoſuit, expli- candum breuiter, qui ordines & intra quantum tempus ad ſingula beneficia requirantur.

99 Dico Quarto, Adeptus Episcopatum, ſi munus conſecrationis intra tres meſes non ſuſceperit, ad fructuum perceptorum reſtitutionem tenetur. ſi totidem poſteà meſes idem neglexerit, Episco- patu ipſo iure eſt priuatus. Ita Tridentinum ſeſ- ſion. 23. cap. 2. de reformatione.

100 Dico Quintò, Adeptus Eccleſiam parochia- lem, tenetur ordinari ad ſacerdotium intra an- num; quòd ſi intra hoc tempus promotus non fuerit, ipſo iure, nulla etiam monitione præuia, ſuo beneficio eſt priuatus, habetur cap. Licet Ca- non. 14. & cap. Commiſſa. 35. de electione in 6.

Vbi notandum Primò, Tempus, à quo incipit fluere prædictus annus, eſſe illud, ex quo pacificè poſſeſſionem habere cœpit; cap. Commiſſa, ſuprà. Secundò, Hanc obligationem intelligendam ceſſante iuſto impedimento: ſi enim illo tempore ægrotauit, vel in irregularitatem lapſus diſpenſationem obtinere nequiuit, vel Episcopus abſens fuit, non cenſebitur priuatus, etiam ſi intra tempus

annuum non fuerit ordinatus; vt colligitur ex cap. Commiſſa, ſuprà. Ratio eſt, quia hæc priua- tio conſtituta eſt in pœnam negligentia: pœna au- tem locum non habet vbi non eſt culpa. Item in- telligenda eſt de Eccleſia parochiali cum cura in actu, id eſt, quam ipſe beneficiarius per ſe obire debeat: ſecùs verò ſi ſolùm habeat curam in ha- bitu; id eſt, ſi per Vicarium perpetuum vel tempo- ralem ſit adminiſtranda: hæc enim non neceſſariò requirit primo anno ſacerdotium; vt docet Na- uarrus l. 3. conſil. 4. de præbendis.

Tertio, Si promotus intra annum non fuerit, mox eo elapſo eſt priuatus, ita vt in conſcientia teneatur beneficium dimittere. nam in cap. Licet Canon, dicitur, *Nulla etiam præmiſſa monitione ſit priuatus.*

Dices, Pœna temporalis non debetur in foro conſcientiæ ante ſententiam; atqui hæc eſt pœna temporalis: ergo.

Reſp. Maiorem eſſe veram, quando eſt pœna proprie dicta, qua quis priuatur re aliqua, quæ omnino & abſolutè ſua erat; ſecùs quando pœna ſe habet vt priuatio rei, quæ nondum abſolutè erat ſua, ſed ſolùm ſub certa conditione; tunc enim eà non impletà, tenebitur rem illam reſtitue- re: quia ſolùm conditione impletà; abſolutè erat futura ſua. Sic officia, beneficia, & fructus eorum poſſunt à legitima potestate ſub hac conditione concedi, vt ſi hoc vel illud factum aut omiſſum fuerit, teneamur in conſcientia reſtituere: ita Na- uarrus cap. 25. nu. 128. Lopez parte 2. Inſtructo. pag. 698. qui dicit hanc eſſe communem DD. ſen- tentiam. Forſalè meliùs diceretur illud benefi- cium fuiſſe abſolutè ipſius, cùm fructus eius abſolutè ſuos fecerit, nec teneatur eos reſtituere con- ditione non impletà: eſſe tamen priuatum ipſo facto, ſi promotus non fuerit; quia reſoluitur contractus ſeu collatio ex vi conditionis, quæ cen- ſetur fuiſſe appoſita à principio, ex Iuris diſpoſi- tione. poſſeſſor enim quis rem ſuam tranſferre in alium, ita vt abſolutè fiat ipſius, appoſita tamen conditione, vt reſoluetur contractus, ſi hæc vel illa conditio euenerit: vt patet ex dictis cap. 21. dub. 14. 15. & hoc credo velle Nauarrum.

Quarto, Eandem Eccleſiam non poſſe eidem ea vice iteratò conferri, cap. Commiſſa, ſuprà; alioquin fruſtrà videretur diſponi vt ſit priuatus: vide plura infra dub. 26.

Petes Primò, Verùm pœna impoſita Episcopis, intra tres vel ſex meſes non conſecratis, eodem modo ſit intelligenda?

Reſpondeo; Probabile eſt ſimiliter eſſe intelli- gendam, quia Concilium eodem modo loquitur. *Ad reſtitutionem*, inquit, *fructuum perceptorum teneantur, & ipſo iure ſint priuati.* Verius tamen videtur, Episcopum in conſcientia non eſſe priua- tum titulo ex dilatione conſecrationis, niſi poſt ſententiam: non enim Concilium addit, *vt nulla præmiſſa monitione ſit priuatus*, aut *vt teneatur de- ſerere Episcopatum*; ſed ſolùm ait, *Ipſo iure ſit Episcopatu priuatus*: quam formam loquendi ita pal- ſim in iure conſuetudo recepta interpretatur & mitigat, vt nemo teneatur officium vel benefi- cium, quo ſic priuatus dicitur, dimittere ante ſen- tentiam: niſi alia clauſula, quæ hanc benignam in- terpretationem excludat, appoſatur. Satis enim cenſetur priuatus, ſi iure illo perfectò, & quaſi dominio, quo Episcopatum antea obtinebat, pri- uatus

101 Obiectio.

Reſp.

Reſoluitur collatio ex vi conditio- nis qua iure cenſetur appoſita.

102

103

Non tenetur titulum dimittere ante ſententiam.

uatus sit, retenta tamen eiusdem possessione; vt supra cap.29. dub.8. ostensum est.

104 Petes Secundò, Vtrum Episcopus non possit dispensare vt Parochus differat sacerdotium vltra annum?

Episcopus potest Parocho concedere 7. annos studiorum.

Respondco, Possè, idque ob vnicam causam studiorum, & quidem ad septennium; modò tamen intra annum, quo debebat fieri Sacerdos, ordinetur subdiaconus; scilicet ne à statu Ecclesiastico possit resilire. quòd si intra annum non fuerit factus subdiaconus, ipso facto est priuatus Ecclesiasticè similiter si expleto septennio studiorum non fuerit intra annum factus Sacerdos. Ita habemus cap. Cum ex eo, de electione, in Sexto. vbi Nota; hanc facultatem dispensandi videri Episcopis ademptam per Concil. Trident. sess. 22. c.4. de reformat. vbi sic dicitur, *Nec alijs in posterum fiat promissio, nisi ijs, qui iam etatem & ceteras habilitates integre habere dignoscantur; aliter irrita sit promissio.* vnde videtur requirere presentem eruditionem. Sed contrarium est probabile: ita tenent Nauarrus & Lopez supra, & quidam alij: quia quòd ad scientiam attinet, non videtur velle inducere correctionem Iuris antiqui, (alioquin id clarius explicare debuisset) sed solum renouare id, quòd Iure antiquo erat decretum; addita clausula irritante, in qua tacitè subintelligi potest exceptio Iure antiquo concessa, nempe *Nisi Episcopus causà studiorum dispensauerit.* Itaque non est cur dicamus illis hanc potestatem ademptam.

Dico Sextò, Qui Dignitates, Personatus, Officia, Præbendas, Portiones; ac qualibet alia beneficia in Ecclesijs cathedralibus vel collegiatis vel regularibus obtinent, quibus varia onera sunt annexa, (v.g. vt alij Missas, alij Euangelium, alij Epistolam dicant) tenentur intra annum, iusto impedimento cessante, ordines suo officio conuenientes suscipere. Ita Conc. Trident. sess. 22. c.4.

105 *Qui negligunt ordinem suscipere.*

Vbi Notandum Primò, Qui negligunt ordinem debitum intra annum suscipere, non idèd priuati sunt ipsis beneficijs; alia tamen incommoda incurrunt. Primò, Amittunt vocem in Capitulo non solum passiuam, sed etiam actiuam; vnde electiones per tales factæ possunt irritari. Secundò, Potest & debet illis subtrahi dimidia pars distributionum chori. Tertio, Peccant mortiferè, vbi Concilium est receptum; quia violant præceptum Ecclesiæ, vt patet ex verbo *Teneantur*; idque in re graui, ad quam etiam Iure naturæ obligantur, supposito tali beneficio; quia sine tali ordine non possunt præstare id, ad quòd ex officio obligantur. per alios autem non possunt sine dispensatione; quia sunt onera personalia. Vnde patet, non esse paruum abusum, quòd passim altaria & cappellaniæ dentur pueris vel alijs, qui non sunt Sacerdotes: neque enim hoc Ius cum suis pœnis est nouum; nam idem constitutum fuit in Concil. Viennensi, vt patet Clement. Vt ij, de etate & qualitate ordinandorum, & Concilium Trident. illius Concilij decretum innouat.

106 *Præbenda Eccl. cathedralis.*

Notandum Secundò, in Ecclesijs cathedralibus omnes Canonicatus habere annexum ordinem sacrum presbyterij, diaconatus, vel subdiaconatus, vt statuit Conc. Trid. sess. 24. c.12. de reformat. Permittitur tamen Episcopis cum Capitali consilio, vt designent quibus canonicatibus quis ordo annexus esse debeat; ita tamen vt saltem dimidia pars sint presbyteri. Ex quo sequi videtur, omnes

tales Canonicos, etiam si eorum Canonicatus ex primæua institutione sacrum ordinem annexum non habent; tamen vbi Concilium seruatur, tenentur sub peccato mortali, & priuatione vocis in Capitulo, intra annum ad ordinem sacrum, saltem subdiaconatus, promoueri; quamuis fortè ex negligentia Episcopi non esset facta distributio & designatio; quæ præbendæ quem ordinem habere debeant: nam ipsi Concilium sua auctoritate annexit omnibus ordinem sacrum in genere; et si velit ab Episcopo, cum consilio Capitali designari in particulari, quis cui connecti debeat.

Notandum Tertio, Eos, qui post monitionem ordines debitos sumere reculant, ab Ordinario priuari debere suis beneficijs, vt Congregatio Cardinalium respondit.

His adde, Quando Ius aut statutum requirit aliquem gradum in eo qui eligendus vel præficiendus est, sufficere, vt tempore electionis sit habilis ad eum statum comparandum; vt si dicatur non esse conferendum nisi Doctori vel Licentiatò, qui enim iam proximè habilis est ad aliquid, ita vt possit illud statim obtinere, perinde censetur, ac si iam obtineret. Confirm. Primò, Quia sacerdotium magis requiritur ad beneficium parochiale & cappellaniam, quàm gradus ad Episcopatum, archidiaconatum, vel præbendam Theologicam; eùm illud sit necessarium essentialiter ad illorum beneficiorum functionem, atqui Iura explicant, satis esse ad acceptandam Parochiam, vt intra annum possit fieri Sacerdos. Idem supra dictum de cappellania; nec requiritur vt actu sis Sacerdos tempore collationis, ergo, &c. Confirm. Secundò, quia gradus non faciunt aptum functioni beneficij, sed solum sunt testimonium publicum aptitudinis: atqui perinde est siue iam actu testimonium habeas, siue mox habere possis. Denique non est credibile, conditores talium Iurium & statutorum ita voluisse inhaerere illi conditioni, vt eum qui actu eam non habet, velint censi inabilem: quia id non solum videtur à ratione alienum, sed etiam bono Ecclesiæ noxium. Nam sæpè multi carentes gradu, doctiores & aptiores sunt gradu insignitis; qui omnes excluderentur, eò quòd actu gradum non habeant; cum tum facile possint illum capessere. idem praxis quotidiana declarat, cum plurimi, facta electione, gradum suscipiant.

DUBITATIO XX.

Quanam etas ad singula beneficia sit necessaria.

107 **R**espondeo & Dico Primò, Ad Episcopatum requiritur etas 30. annorum exactorum. habetur cap. Cum in cunctis. 7. de elect. ex Concil. Lateran. sub Alexandro III.

Dico Secundò, Ad dignitatem Ecclesiasticam inferiorem Episcopatu, habentem tamen curam animarum, requiritur etas 25. annorum saltem inchoatorum. habetur expressè d.c. Cum in cunctis. 5. Inferiora, & in Concilio Trident. sess. 24. cap. 12. vbi etiam d. cap. dispositio renouatur. Vnde patet, ad Abbatias, ad Prioratus conuentuales, ad Decanatus, ad Præposituras, ad Archidiaconatus, & similes dignitates, quibus cura animarum connexa, requiri & sufficere ex rigore Iuris annos 25. inchoatos.

Abbatia, Prioratus, Præpositura, Decanatus, Archidiaconatus.

Aduerto

Officiū
Abbatissa.

Aduerte tamen, hic non esse sermonem de officio Abbatis, Prioris, vel Praefecti Monasterii, quia haec non sunt beneficia Ecclesiastica, de quibus hic agimus; sed officia quaedam cum iurisdictione. Concilium Trident. sess. 25. cap. 7. de Regularib. in omnibus huiusmodi Praefecturis requirit ut praeficienda non sit minor 40. annis, & ut octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit, quod si his qualitatibus non reperitur in eodem Monasterio, ex alio eiusdem Ordinis eligi posse. Si hoc incommodum Superiori, qui electioni praest, videatur, ex ijs, qui in eodem Monasterio annum trigessimū excesserint, & quinque saltem annis post professionem recte vixerint, Episcopo, vel alio Superiore consentiente, eligendam.

108

Dico Tertio, Ad alias Dignitates vel Personatus, quibus non subest cura animarum, requiritur ut quis non sit minor annis 22. Ita Concilium Trid. sess. 24. cap. 12.

Vbi notandum Primo, Illa formulā, *Ut non sit minor 22. annis*, insinuari, annos 22. debere esse completos: qui enim nondum compleuit, est eis minor aetate. Secundo, Episcopum olim potuisse dispensare, ut haec Dignitates, quibus animarum cura non incumbit, conferrentur anno 20. completo, ut habetur cap. Permittimus, de aetate & qualitate praeficiendorum, in 6. Quod Siluester v. Beneficium, 3. n. 3. sub finem ex Paludano intelligit etiam de Archidiaconatu, quia non habet curam animarum in foro interiori, ut oporteat esse Sacerdotem. Verum post Concilium, certum est non posse dispensare pro anno 20. quia aperte inducit nouum Ius, requirens ut minimum 22. annos expletos. Addo, Archidiaconatum videri computandum inter Dignitates, quibus animarum cura connexa est; nam cap. Cum in cunctis, §. Inferiora, aperte numeratur inter illas eum Decanatu, & requiruntur 25. anni. Idem insinuat Concilium Trid. supra: vnde sententia Siluestri & Paludani non videtur vera.

Archidiaconatus.

Dico Quarto, Ad beneficium parochiale requiruntur 25. anni inchoati. cap. Licet Canon, de electio, in 6. Nec Episcopus in hoc dispensare potest, ut colligitur ex cap. Permittimus, de aetate & qualitate praeficiendorum, in 6.

109
Quatuordecim anni in ceteris.

Dico Quinto, Ad alia beneficia, qualiacumque ea sint, requiritur ut minimum aetas 14. annorum inchoatorum. Ita statuit Concil. Tridentinum sess. 23. c. 6. *Nemo ante 14. annum beneficium possit obtinere.* Itaque etiam si olim poterant quaedam beneficia post annum aetatis septimum pueris dari, ut docet Siluester v. Aetas §. 2. nunc tamen non possunt, sed irrita est collatio.

110
Canonice non dantur pueris.

Aduerte tamen, Canonice, & similia quae maturitatem concilij requirant, numquam pueris dari potuisse sine dispensatione, ut ibidem Siluester. Imò Caietanus v. Beneficium, dicit esse intolerabile ut pueris Ecclesiastica beneficia dentur. Potest tamen Pontifex circa filios Principum, & quodcumque iudicat Ecclesiae expedire, dispensare. Dixi *Ut minimum*, quia aetas haec 14. annorum etsi per se sufficiat, tamen ratione Ordinis, & habitus ad Ordines, quam Concilium Trident. requirit, saepe exigitur maior aetas, ut patet ex dictis. Vnde sequitur, eum, qui accipit beneficium, quod requirit subdiaconatum, (ut sunt omnes Canonice Ecclesiae cathedralis) debere

Aetas in beneficijs Ordinibus requiritibus.

inchoasse annum 21. nam debet esse habilis ut intra annum fiat subdiaconus; subdiaconus autem fieri nequit ante 22. inchoatum. Quod si beneficium requirat diaconatum, debet saltem inchoasse annum 22. ut in principio anni sequentis possit fieri diaconus. Si sacerdotium, debet inchoasse annum 24. alioquin irrita erit collatio, ut colligitur sess. 22. c. 4. & sess. 24. c. 12.

In his tamen & similibus Iure nouo inductis, multi poterunt excusari, vel quia Ius illud non est receptum, vel quia bona fide per triennium fuerunt in possessione, absque simonia & intrusione; quae possessio parit veluti vsucapionem & dominium, iuxta Nauarrum l. 3. consil. 42. de praebendis, de quo dictum supra cap. 6. dub. 10.

Excusatio.

DUBITATIO XXI.

Quomodo requiratur calibratus ad beneficium.

Respondeo & Dico Primo, Omnis collatio beneficii facta ei, qui matrimonio est iunctus, irrita est. colligitur hoc ex cap. 1. 2. & 8. de Clericis coniugatis, & ex Concilio Trid. sess. 22. cap. 4. Aduerte tamen, eum qui duxit virginem, si consentiente vxore castitatem voueret, posse ad beneficium admitti, ut habetur cap. 2. de Cleric. coniug. tunc tamen si vxor esset iuuenis, deberet ante Religionem ingredi; si proeclior, deberet saltem vouere castitatem in saeculo, ut notat Glossa ibid. ex cap. Cum sis. 4. & c. Ad Apostolicam. 13. de conuersione coniugat.

111
Beneficij collatio in coniugatis irrita.

Dico Secundo, Si clericus minorum Ordinum, habens beneficium, contrahat matrimonium, ipso Iure illud amittit. Ita communiter DD. in cap. 1. de Clericis coniugatis; & docet Nauarrus c. 25. n. 120. Ratio est, quia suscipit statum incompatible, imò sub hac conditione tacita censetur ei collatum.

112
Clericus minorum Ordinum.

Dices, Capite illo primo solum dicitur, esse compellendos ut beneficia relinquunt; & cap. 3. debere beneficio spoliari; & infra, esse beneficijs priuandos.

Obiectio.

Idem dicitur cap. 5. Respondet Glossa, Canones istos loqui non de priuatione Iuris, sed facti seu possessionis. Nec obstat quod cap. 5. dicitur, coniugatum non posse spoliari beneficio per eum qui illud ipsi contulit, sed solum per Superiorem: quia loquuntur de coniugato, cui Episcopus in coniugio existenti contulit, quem iubet priuari, non per Episcopum, (ut consulat eius honori, ne ille proprium factum rescindere cogatur) sed per Superiorem.

Resp.

Petes Primo, Quid si Clericus minorum Ordinum contraxerit matrimonium inualide; ob aliquod impedimentum, vacabitne beneficium? Patet, putat vacare, modo non defuerit consensus: hunc sequuntur multi alij DD.

113
Si matrimonium sit inualide contractum.

Verius tamen puto contrarium; quia Canones aperte loquuntur de matrimonio valido, ut patet cap. 1. 3. 5. quia fundant se in eo, quod non possit vxori & voluptatibus carnis dare operam, & diuinis obsequijs vacare; quae ratio cessat, si matrimonium sit irritum: idem sentiunt multi docti viri in hac Vniuersitate à me consulti. Confirm. Si enim vacaret, vel id esset in penam delicti, vel ob tacitam renuntiationem, vel quia capessit statum impossibilem. Non primum, tum quia

absque culpa potuit contrahere; tum quia poena non debetur ante sententiam. Non secundum, quia etiam si expresse renuntiasset, non vacaret: requiritur enim renuntiationis acceptatio facta per Superiorem. atqui tacitum non plus operatur quam expressum. Non tertium, quia reuera non assumptis statum repugnantem, cum actus sit inualidus. Confirm. Secundo ex reg. 52. de reg. Iuris, *Non praestat impedimentum, quod de Iure non sortitur effectum.*

Si vxor ingreditur Relig.

Petes Secundò, Quid si vxor ante consummationem ingrediatur Religionem?

Respondeo, DD. plerique existimant, beneficium nihilominus vacare, ita vt retineri non possit, idque ex d. c. 1. probant. Contrarium tamen alicui verius videri possit ob rationem allatam; tunc enim cessat ratio cur debeat relinquere: vnde nisi per Iudicem priuetur, non tenetur in conscientia. & confirmatur, quia id magis consentaneum verbis illius Canonis & sequentium, si rectè ponderentur. Nihilominus non recesserim facile à sententia communi DD. quæ in huiusmodi vim magnam obtinet.

114 Sponsalia.

Dico Tertio, Si contrahat solum sponsalia, non amittit ipso Iure, quamuis mereatur priuari. est communis DD. Primum patet; tum quia sponsalia solui possunt; tum quia Iura nihil de hoc statuerunt. Secundum patet; tum quia non potest retinere beneficium, si velit promissioni sponsalium satisfacere; tum quia de decorat statum Ecclesiasticum, contrahendo sponsalia retento beneficio.

115 Clericus sacrorum Ordinum.

Dico Quarto, Si Clericus sacrorum Ordinum contrahat matrimonium, non amittit ipso facto beneficium, sed est priuandus. colligitur ex dicto cap. 1. & ita docet ibidem Glossa communiter recepta. Ratio est, quia matrimonium est irritum, & compellendus est manere in Ordine suscepto, vnde non conueniebat vt ipso facto esset priuatus, ne forte cogereetur mendicare.

Præbenda laicorum.

Notandum est, hæc esse intelligenda de beneficio propriè dicto, quod competit alicui ratione spiritalis tituli: nam præbendas quasdam temporales ratione paupertatis, vel temporalis administrationis, laici coniugati habere possunt, quales dicuntur esse in Ecclesia Carnotensi S. Martini; vt refert Siluester, v. Beneficium. 3. q. 4.

DUBITATIO XXII.

Vtrum requiratur vt non sit vlla censura irretitus, aut alia inhabilitate affectus.

116 Excommunicatus inhabilis.

Respondeo & Dico Primò, Hoc aded requiri, vt collatio beneficii facta excommunicato excommunicatione maiore, aut suspensio, aut interdicto, sit nulla, iuxta communem D. sententiam. De excommunicato habetur c. Postulastis. 7. de Clerico excommunicato. De suspensio probant ex cap. Cum dilectus. 8. de consuetudine. c. Cum inter R. seniore. 16. de elect. & c. Cum bonæ. 8. de atate & qualit. De interdicto colligunt ex cap. 1. de postulatione Prælatorum: quamuis ibi non dicatur inhabilis, qui est interdictus, sed qui interdictum violauit. videtur tamen consonum Canonibus, vt etiam ij, qui sua culpa interdictum personale incurrerunt, inhabiles sint: quia qui non possunt præstare officium publicè, vt in Ecclesia fieri solet, par est vt non sint capaces beneficiorum;

vt colligitur ex Canonibus citatis. Dixi, *Excommunicatio excommunicatione maiore*; quia si minore tantum erat excommunicatus, collatio non est ipso facto irrita, sed irritanda; vt patet ex cap. Si celebrat. 10. de Clerico excommunicato. quamuis Glossa & multi alij illud irritanda exponant irrita declaranda. sed in pœnis mitior interpretatio facienda: & odia restringenda, vt habet regula Iuris. vnde hæc sententia videtur verior.

Notandum Primò, Non solum collationem, sed etiam electionem, presentationem & postulationem, excommunicati, suspensi, & interdicti, & resignationem in eius fauorem esse irritam; vt colligunt ex iisdem locis, & aliis multis: & docent communiter DD. Rebuffus, §. Formula dimissoria, num. 24. Couarr. in cap. Alma. 1. p. §. 7. nu. 1. & 2. Glossa in cap. Postquam. 3. de elect. & alij.

Notandum Secundò, Hæc esse intelligenda in omnibus beneficijs, que potestate humana conferuntur, etiam in Episcopatu; quia Canones generaliter de beneficijs loquuntur; nec vllus DD. aliam exceptionem facit: & merito; quia qui minorum capax non est, quomodo maiorum capax erit? Dico, quæ potestate humana conferuntur, vt excludam Papatum; qui non ab hominibus, sed ab ipso Christo Domino confertur ei, qui secundum formam in Ecclesia receptam à Cardinalibus electus fuerit: etiam si ille excommunicatus, suspensus, aut irregularis sit; vt colligitur ex cap. Licet, vbi dicitur: *Ille absque vlla exceptione, ab vniuersali Ecclesia pro Romano Pontifice habeatur, qui à duobus partibus concordantibus electus fuerit & receptus.* vnde aperte sequitur, non obesse illi vllam censuram priorem, neque suam, neque eligentium. Idem de eligentibus statuitur Clement. Ne Romani. §. Ceterum. causa statuendi fuit vt videntur occasiones schismatum, quæ maximè sunt Ecclesiæ perniciose. cessat autem illo casu excommunicatio per seipsum: quia euectus in illam dignitatem non potest amplius lege excommunicationis, vt potè à pari constituta, constringi.

Notandum Tertio, supradicta procedere iuxta communionem DD. sententiam: Nihilominus satis est probabile, etsi suspensio siue ab officio, siue à beneficio faciat hominem indignum collatione noui beneficii, & Canones velint eum priuari, & hac ratione possit dici inhabilis; non tamen ita esse inhabilem, vt collatio sit ipso Iure irrita, & ille teneatur beneficium, etiam post ablatam suspensionem, sponte dimittere. Id enim ex Canonibus non satis potest probari. Solum enim ex illis colligitur, collationem esse irritandam, ipsumque esse priuandum, vt patet singulos expendentem: quæ formulæ loquendi indicant requiri sententiam Iudicis. Vnde in re tam dura & difficili non videntur extendendæ ad priuationem latæ sententiæ, & inhabilitatem absolutam. Quam sententiam veriore esse docet doctissimus Suarez tomo de censuris, partim disput. 26. sect. 3. nu. 7. partim disp. 27. sect. 5. num. 25. Nec obstat cap. Cum bonæ, de atate & qualit. quod maximè videtur vrgere; vbi de quibusdam suspensis Clericis dicitur, quod non licet eis beneficium in suspensione obtentum aliquatenus retinere. Facilis est responsio. Non enim ibi tam ponderat Pontifex quod absolute in suspensione beneficium obtinissent, quam quod in tali suspensione, nempe

Omnia profusio beneficiaria facta, est irrita.

Episcopatus.

Papatus.

Probabilis sententia.

triennali. in qua per triennium contumaces perstiterant; quod indicant verba illa extrema: *Vnde Archiepiscopo dedimus in mandatis, ut eos pro tanta pertinacia & contemptu Apostolico, beneficijs quæ habent, non differat spoliare.* Quod confirmatur; quia non solum de beneficijs in suspensione obtentis dicit Pontifex eos non posse illa retinere; sed idem omnino dicit de illis, quæ ipsi ante suspensionem habebant. ac certum videtur, quod non tenebantur hæc sponte dimittere. Tantum ergo dicere voluit, fore turpe & scandalosum, si post tantam contumaciam permitterentur suis beneficijs frui, ac proinde à Superiore priuandos. Adde, credibile esse, tanto tempore aliquando officio Ordinum functos, ac proinde factos irregulares, & hac ratione ad noua beneficia factos inhabiles.

Quod diximus de suspensione, idem videtur probabile de interdicto: quia à Canonibus hic minus præsidij. Nam c. 1. de postulat. prælat. quo maximè nituntur, loquitur expressè de violante interdictum, non de eo qui solum interdictus, vt supra infinuatur. Quia tamen cui prohibita est functio aliqua, ei quoque prohibita censetur susceptio eius quod ordinatur ad illam functionem: idem omnis collatio beneficij suspensionis & interdictis facta, merito est irritanda, & ipsi spoliandi; vt colligitur ex cap. fin. de Clerico exc. ministrante. Cùm enim non sint habiles ad officij functionem, non debent admitti ad beneficia, quæ propter officij functionem dantur.

Petes Primò, Quid si prouisus ignoret se excommunicatum, ignorantia probabili, eritne tunc electio & collatio beneficij irrita? Nauarrus in cap. Fratres, de pœnit. dist. 5. n. 45. absque hæsitacione docet validam esse: pro qua sententia citat Glossam secundam in c. Apostolicæ 9. de Clerico excommunicato ministrante, Felinum, & Cardinalem. Idem potiori ratione dici potest de suspensio & interdicto. Hæc sententia probabilis est.

Contrariam tamen puto veriore cum Glossa communi, Abbate, & alijs in dictum cap. Apostolicæ; & ita seruat in praxi: nam Papa ad cautelam solet absoluerè à censuris, dum alicui de beneficio prouidet; scilicet ad effectum dumtaxat præsentis collationis consequendum. Ratio est, quia etsi ignorantia excommunicationis valeat ad non incurrendam irregularitatem & alias pœnas, ijs, qui aliquid prohibitum in eo statu fecerint, statutas; non tamen ad habitandum hominem ad ea, ad quæ per illam est inhabilis. vide Couarruiam in cap. Alma mater. p. 1. §. 7. n. 3.

Petes Secundò, Quid si alicui facta sit collatio ante excommunicationem, qui postea in excommunicatione acceptet, eritne valida acceptatio?

Respondeo, Communior sententia DD. est, illam acceptationem in excommunicatione factam valere: quam refert Couarr. l. 3. variarum cap. 16. n. 4. & in c. Alma, supra n. 4. eique fauet praxis, vt ibidem ait. ratio est, quia iam ante excommunicationem censetur illi ius quæsitum per collationem: acceptatio enim, seu consensus non tribuit nouum ius, cum fiat priuata auctoritate; sed solum declarat consensum beneficiarij cupientis collatum sibi ius retinere. Sed hæc ratio non videtur firma; quia etsi per talem collationem acquirat ius ad rem, non tamen in re, nec facit illud suum; ad hoc enim requiritur acceptatio, vt ostensum c. 18. dub. 6. de promissione & donatione: & aperte colligitur ex

cap. Si tibi absent. 17. de præbendis, in 6. Itaque cùm illo tempore sit incapax noui iuris acquirendi, non videtur acceptatio pro illo tempore esse valida, sed pro tempore, quo definit esse excommunicatus: tunc enim acceptatio prior, quæ adhuc censetur manere, cùm non sit reuocata, habebit effectum; nec opus erit noua acceptatione. Ita Couarruias supra. Simile est cùm quis electionem, postulationem, confirmationem, vel gratiam expectatiuam factam sibi ante excommunicationem acceptat in excommunicatione, vel cùm Canonice senior optat præbendam lautiorē in tali censura. Valer enim talis acceptatio, etsi effectus eius quod est ius liberum, suspendatur vsque ad absolutionem: qua posita, statim sequitur ille effectus absque nouo consensu.

Petes Tertio, Vtrum è contrario, si is qui in excommunicatione est electus aut præsentatus, fiat capax per absolutionem, priusquam acceptet electionem vel præsentationem, acceptatio sit valida? Similiter si collatio facta sit existenti in censura; vtrum valida sit acceptatio facta post absolutionem. Multi DD. putant huiusmodi acceptationem validam esse; imò etiam si acceptaueris electionem, præsentationem, collationem, aut institutionem cum impedimento excommunicationis vel irregularitatis, nihilominus sublato eo impedimento per dispensationem vel absolutionem, illum actum conualescere, & ius tribuere in foro conscientia, ita vt noua electione, præsentatione, aut collatione opus non sit. Ita docent Speculator, Innoc. Hostiensis, Ioannes And. Butrio, Anchar. Sapia, Calderinus, Milis, Felinus, Nauarrus, & Borgasius: quos refert Sancius lib. 8. de dispensationibus dist. 7. nu. 12. eorumque sententiam dicit probabilem ac tutam cum his limitationibus. Primò, Vt impedimentum sit occultum, alioquin actus nullum haberet colorem, sed esset plane irritus in foro externo. Secundò, Vt id in nullius cedat præiudicium. Si enim duo electi essent, præferendus esset qui caret impedimento; quia hic solus absolute ius habet. Tertio, Vt si sciens suum impedimentum, acceptaret collationem beneficij, non solum impetret dispensationem illius impedimenti prioris, sed etiam illius quod incurrit per talem acceptationem. ita enim acceptando beneficij collationem, incurrit vitium intrusio- nis, per quod fit inhabilis ad idem beneficium (etsi non ad alia, vt infra dicitur) vnde etiam eget dispensatione huius impedimenti; qua obtenta poterit beneficium retinere. Quæ sententia sic probari potest. Nam electio illa fuit valida & efficax ex parte eligentium, vt supponitur, (idem dicendum de præsentatione & collatione) sed solum requiritur capacitas in electo. ergo simulatque fuerit capax factus sublato impedimento, ex vi prioris actus ius acquirit: sicut cùm quis acceptat in excommunicatione collationem sibi factam ante excommunicationem, sublato illo impedimento ius acquirit absolutum ex vi illius acceptationis, vt ante dictum est. Deinde, quia electores in priore voluntate manere censentur, cùm illam non reuocant; ergo vis electionis manet: ac proinde poterit eam sublato impedimento valide acceptare. Denique, is cuius professio fuit irrita ob aliquod impedimentum, vt ob defectum ætatis, vel quia nondum completus annus probationis, sublato impedimento potest manere in religione,

117
Si ignoret
conjuram.

118
Acceptatio
in excom-
municat.
est valida
pro tempo-
re absolut.

119
si electio,
præsent. vel
collatio facta
sit ex-
communic.
& post ab-
solut. acce-
ptatur.

& ratificare suam professionem absque noua admissione Prælati, vt infra c. 41. dub. 7. n. 64. dicitur. ergo similiter in nostro casu sufficit vt impedimento sublato, acceptet apud se electionem vel collationem præteritam. Eandem sententiam tenet Henriquez de excommunicatione cap. 13.

Verius est non esse validam.

Sed contrarium est probabilius, & tenet Nauarrus cap. 27. n. 194. Panorm. cap. Innotuit. n. 11. de electione, & alij passim. Probatur Primò, quia Canones sacri absolute irritam reddunt electionem habentis tale impedimentum, nec meminerunt acceptationis. Deinde, electi, præsentari, vel pronisi in excommunicatione, vel alio impedimento, facile possent differre acceptationem, & interim curare se absolui; & ita nihil illis illud impedimentum obesset: quod videtur contra mentem Canonum. Tertio, quando contractus vel consensus alicuius est irritus ob impedimentum occultum alterius partis, non satis est tolli illud impedimentum, sed opus est, secundum veriore sententiam, nouo consensu alterius; vt patet in contractu matrimonij. ergo similiter hic opus est nouo consensu electorum, quo confirmet priorem actum, aut velint in eo perstare. Quod si impedimentum eis fuerit notum, non opus est nouo consensu, sed sufficit eos sublato impedimento in priore consensu perseverare, vt docet Panorm. in d. cap. Innotuit. 20. num. 11. de electione. Ex his utrumque soluas rationes sententiæ diuersæ. Ad Primum dici potest, id habere locum quando electores sciunt impedimentum. (quando enim crimen illorum est occultum, non sunt omnino priuari iure eligendi ante sententiam, vt multi probabiliter docent.) secus quando nesciunt: tunc enim error censetur causa consensus, qui proinde illum reddit inualidum ex parte eligentium. Neque est simile quod affertur de acceptatione electionis factæ ante impedimentum.

Ad Secundum, patet ex dictis. Ad Tertium, dicendum infra cap. 41. dub. 7. n. 64.

Præter censuras proprie dictas sunt alia quædam impedimenta acquirendi beneficii, vt Irregularitas, Inhabilitas proueniens ex eo quod quis sit filius hæretici, vel quod ad preces hæretici obtinuerit beneficium; vel quod in beneficio commiserit simoniam; vel quod sit intrusus. Non enim omnis inhabilitas ad beneficia est proprie censura, vel etiam irregularitas, sed sunt quædam inhabilitates ab illis distinctæ, vt patebit ex dicendis.

120 *Irregularitas* Dico igitur Secundò, Etiam requiritur vt non sit irregularis; alioquin collatio erit nulla. Est communis sententia, quam tenet & probat Nauarrus cap. 27. n. 251. & Panor. in cap. Tanta. 18. de excessibus Prælatorum. Ratio est, quia inhabilis ad vnum, est inhabilis ad ei annexum: at irregularis est inhabilis ad Ordines & eorum usum, ergo etiam ad beneficium Ordini annexum. Deinde irregularis in Iure dicitur egere dispensatione, etiam ad beneficii simplex, vt patet Can. Studeat. d. 50. & c. 2. de Clerico pugnante in duello. Confirmatur, quia collator non intendit conferre, nisi secundum Canones; ergo cum subest irregularitas, deest ei intentio conferendi, ac proinde collatio est irrita: sicut impetratio gratiæ est irrita, quando celatur illud quod impediret concessionem.

Dices, has rationes non conuincere. Nam irregularis non est inhabilis ad recitandum priuatim

Officium diuinum: at multa beneficia non requirunt amplius; vel si quid amplius oneris habeant, (v.g. aliquot Sacra) id potest præstari per alium; ergo saltem talium beneficiorum nõ erit incapax. Deinde etsi irregularis sit inhabilis ad Ordines, non tamen collatio Ordinum ipsi facta est irrita; ergo similiter etsi dicatur inhabilis ad beneficii, collatio beneficii non erit irrita. Vt enim dicatur quis inhabilis, sufficit vt habeat tale impedimentum, cum quo non possit sine peccato obtinere. Nec refert quod isti Canonibus dicatur egere dispensatione; tum quia ibi agitur de clerico homicida, (homicidium autem peculiari ratione impedit collationem & retentionem beneficii), non solum ob irregularitatem, sed quia Canones iubent illum priuari, vt patet cap. 1. de homicidio, in 6.) tum quia sine dispensatione nullus irregularis potest licite beneficium obtinere aut retinere. Nec obstat quod Canones vetent talibus dari beneficia: quia inde tantum sequitur id esse illicitum, non autem esse irritum. Imò non est censenda irrita collatio ex vi alicuius prohibitionis, nisi expressè addatur, vt si contra factum sit, censetur irritum & inane, vt expressè habetur cap. Si soli 6. de præbendis, lib. 6. Atqui nullus est Canon, qui habeat clausulam irritantem: ergo. Denique non videtur confirmatio, quia error, qui non est circa causam principalem donationis vel contractus, non reddit illum irritum, vt ostensum est c. 17. dub. 5. Itaque non desunt graues DD. qui doceant hanc collationem non esse irritam, sed irritandam à Superiore. Ita expressè Innoc. in cap. Cum nostris, de concess. præbendæ: vbi dicit, quod homicida & alij irregulares sine dispensatione iuste tenent dignitates suas, quousque renuntient, vel deponantur, etiamsi tales essent tempore collationis vel electionis. Et Petrus de Ancharana in reg. Peccati venia. in 1. Opp. lib. 6. Illud autem certum est, quod si homicida promoueat ad beneficium, recipit inulm. Quod confirmat ex Innoc. supra. Idem docet Felinus in cap. Inquisitionis, n. 6. 7. 8. de accusat. vbi præter prædictos citat pro hac sententia Rotæ Decisiones & Calderinum. Eandem sententiam expressè docet Glossa Raimundi, & Siluester v. Excommunicatio, 4. n. 4. illam Glossam adducens. Sequuntur aliqui recentiores: & quidam expressè dicunt, in rigore Iuris hanc sententiam esse probabilem. Et iuxta illam peccaret quidem irregularis beneficium acceptando, vel retinendo, solum tamen egeret dispensatione irregularitatis ad illud licite retinendum.

Nihilominus in praxi sentio adhærendum nostræ assertioni tamquam securiori, etsi rationes supradictæ illius non omnino conuincant. Primò quia est communis, à qua non facile recedendum in praxi. Secundò, quia videtur omnino consentanea praxi & stylo curiæ Romanæ: stylus autem seu consuetudo curiæ in iudiciis, Ius facit. Tertio, quia Canones facile ita possunt intelligi, & plerique DD. ita eos intellexerunt. Non enim antiquiora illa Iura ita distinctè & discretè omnia exprimunt; sed satis est vt dicant, talem non posse beneficium obtinere. Ex communi autem sententia DD. facile nascitur consuetudo, quæ instar Iuris habeat.

Notandum tamen Primò, Eum, qui sacro Ordine diaconatus vel subdiaconatus est initiatus, *Irregularis secundum quid.* posse fieri irregularem ad suscipiendum sacerdotium;

tium; ita tamen vt non sit irregularis ad functionem Ordinis suscepti, v. g. ad canendum Euangelium vel Epistolam: & Sacerdotem amissis aliquot digitis fieri posse inhabilem ad celebrandum; ita tamen vt maneat idoneus ad audiendas confessiones; quo euentu poterit ei conferri beneficium, quod non requirit aliud ministerium, quam illud ad quod ille aptus remansit, vt rectè Nauarr. sup.

Reualidatio tituli.

Notandum Secundò, Quando titulus inualidè collatus fuit ob censuram, irregularitatem vel inhabilitatem, quæ per Episcopum tolli poterat, Episcopum, sublata illa inhabilitate, non posse titulum reualidare, si prima collatio ad Pontificem pertinebat: hæc enim reualidatio fieri debet per eum, cuius est beneficium primò conferre. Si tamen iusta causa subsit, vt si esset vir bonè meritus, & pro ratione sui status indigens, & cui sine scandalo vix liceret beneficium deserere, quiq; ob paupertatem non posset commodè Romam confugere, posset Episcopus ei titulum reualidare ex tacito quodam S. Sanctitatis consensu, vt multi recentiores tenent, teste Henriquez cap. 14. de excommunicatione. Idem dicendum putant aliqui, & potiori ratione, si iusta causa subsit, & collatio ad alium pertineat, apud quem iste infamaretur si se aperiret; id enim suadere æquitatem, (præsertim cum prior quantum in se est, suam collationem iam antè in illum fecerit) & meritò posse præsumi hanc esse S. Sanctitatis mentem, quæ in hoc casu titulum reualidare potest. quare si ille non potest Romam confugere, concedi Episcopo, sicut in casu priore.

121
Hæretici & filij eorum.

Dico Tertio, Omnes hæretici, credentes, receptatores, defensores, & fautores, ipsorumque filij & nepotes per lineam masculam, sunt inhabiles ad omne beneficium Ecclesiasticum & officium publicum: item qui ad preces talium Ecclesiasticum beneficium scientes obtinuerunt, sunt inhabiles ad illud & ad alia omnia. Prior pars habetur c. Quicumque. 2. §. Hæretici, & c. Statutum. 15. de hæreticis, in 6. Altera habetur d. cap. Quicumque. §. Ad hæc, eodem.

Quorum hæreticorum filij.

Notandum Primò, Quod hic de filiis & nepotibus hæreticorum, credentium, fautorum, &c. dicitur, esse intelligendum de filiis eorum, quos tales adhuc esse, vel in tali statu decessisse constat, non autem eorum, quos constat esse emendatos; vt expressè habetur cap. Statutum. Imò quidam recentiores requirunt vt parentes sint damnati de illo crimine; quia cap. Statutum, dicitur, *Qui tales esse, vel tales etiam decessisse probantur.* vbi videtur requiri vt id probatum sit in iudicio, quæ sententia non displicet quibusdam in iis locis, vbi ob multitudinem hæreticorum non censetur infamia esse filium vel nepotem hæretici, secus verò in aliis. Sed reuera non est ea mens Canonis: si enim ageretur de probatione in iudicio, dicendum erat non qui tales esse vel decessisse probantur, sed probati legitime fuerint; debuisse enim probatio præcessisse: idque non in solis defunctis, sed etiam in viuentibus. Vnde nec filij hæreticorum viuentium essent incapaces, nisi in iudicio probatum sit parentes iam esse hæreticos, & fuisse tales ante filiorum procreationem. probantur ergo idem est quod noscuntur, ita vt publicè de eorum hæresi constet. quæ forma loquendi valdè frequens est B. Gregorio, quem alij Pontifices libenter sequuntur. Itaque comprehenduntur omnes illi, quos

passim constat vel adhuc tales esse, vel tales decessisse. Præterea illud intelligendum de filiis post hæresim natis, vt docet Simanchas in Enchir. c. 36. & alij. hi enim soli labem, sui ortu à tali parente contrahere videntur. Qui autem antè nati sunt, non censentur per hæresim parentis superuenientem inquinari. Denique de iis, quos constat filios esse talium; si enim res sit occulta, non adfert illis infamiam. Addunt tamen quidam, etsi supradicti filij sint inhabiles ad beneficia, posse tamen ordinari, quia Iure non prohibentur. Sed credo styllum Curie obstare, qui seruari debet. Imò si quis bonè aduertat, deprehendet ipsum Ius obstare. Nam d. §. Hæretici, dicitur: *Ad nullum beneficium seu officium publicum admittantur, quod si secus factum fuerit, decernimus irritum & inane.* At nomine officij publici, etiam Ordines continentur. Vnde suspensus generatim ab Officio, est suspensus ab Ordinibus, etsi non sit suspensus à beneficio. Addo nullam esse rationem admittendi ad Ordines, præsertim sacros, eos qui ab omni officio publico, vt Iudicis, Notarij, Aduocati, &c. excluduntur. vide Glossam ibidem.

Posse ordinari.

Notandum Secundò, Si mater sit hæretica, pater autem non sit, tunc nepotes non sunt inhabiles, sed filij soli. cap. Statuimus, supra.

Notandum Tertio, Hanc pœnam extendi ad eos, qui hostiliter insecti sunt Cardinales vel Episcopos, & ad filios nepotesque illorum, c. Felicis, de pœnis, in 6. & Clement. 1. de pœnis.

Dico Quarto, Triplex simonia inducit inhabilitatem ad omnia beneficia; nimirum simonia confidentiæ, simonia in electione Papæ, & in examine ad parœcias. de quibus infra c. 35. nu. 147. & 148. alia autem simonia realis in beneficiis inducit inhabilitatem solum ad idem beneficium in quo admissa est, non ad alia; de quo vide infra cap. 35. nu. 139.

122
Inhabilitas ad omnia.

Dico Quintò, Intrusio in beneficium adfert etiam inhabilitatem ad idem beneficium; non tamen ad alia. Colligunt id DD. ex variis textibus Iuris Canonici, vt videre est apud Felinum cap. In nostra. 32. n. 11. de rescriptis. & cap. Veniens. 15. notab. 2. de accusationibus. Est autem *Intrusio* in beneficium, (vnde quis dicitur intrusus) cum quis sciens absque canonico titulo beneficium accipit aut retinet: vel cum quis accipit aut retinet beneficium sciens nullum ius (saltem perfectum) sibi in eo competere, vt ex multis probat Couarr. l. 3. variarum, c. 16. n. 7. Hoc autem fit multis modis, vt refert Felinus locis citatis, Rebuffus in Praxi beneficiorum, Regula de subrogandis, Glossa 4. Ludouicus Gomez. in Regulam de trienniali possessore, 47.

123
Intrusio.

Primus est, cum quis non Superioris, sed sua vel parentum auctoritate occupat beneficium: vt sunt illi, qui nullum habent titulum, iuxta Innoc. in cap. Nihil, de electione. Hos enim esse inhabiles ad illud, colligunt ex cap. Adaures. 3. de excessibus Prælatorum, vbi tales per censuras dicuntur cogendi dimittere beneficium sic occupatum. & cap. Quia diuersitatem. §. de concess. præbendæ. dicitur, cum qui sine collatoris auctoritate se intruserit, cogendum dimittere, etiam si à Sede Apostolica confirmationem obtinuisset; scilicet non facta mentione intrusionis, vt notat Glossa.

Secundus est, cum is, contra quem est lata sententia depositionis, à qua non est appellatum, reti-

net beneficij possessionem. Ita Innoc. in cap. Qualiter, 24. de accusationibus. Hic enim propria auctoritate beneficium retinet.

Tertius modus locum habet in tribus casibus. Primus est, cum quis electus dumtaxat, ingerit se ante confirmationem electionis, administrationi, tamquam verus possessor. Secundus est, cum quis est confirmatus, sed illa confirmatione à Superiore cassata, retinet adhuc administrationem. Tertius casus est, cum presentatus seu nominatus ingerit se administrationi ante institutionem.

In primo casu est priuatus ipso facto omni iure quod per electionem habebat; vt patet per cap. Auaritia 5. de electione, in 6. quod Glossa v. Priuatos, cum Ioanne Andrea & Ioanne Monacho intelligit de eo, qui quæsito aliquo colore administrationi se ingerit. v. g. sub ficto titulo æconomi aut procuratoris, secus de eo, qui absque huiusmodi colore id facit. hunc enim tantum esse per sententiam priuandum suo iure per electionem obtento.

In secundo & tertio casu solum videtur priuandus per sententiam. id enim aperte insinuat Glossa & Auctores citati: cum dicunt, etiam electum administrationi se ingerentem ante confirmationem, iure antiquo non fuisse priuatum, sed solum priuandum per sententiam. ergo cum ius nouum in cap. Auaritia, solum disponat de electo, non autem de presentato vel confirmato, cuius confirmatio est cassata, non erit pœna electi ad hos extendenda, sed solum pœna Iuris antiqui, quod iubet tales priuari per sententiam, iuxta Glossam. Confir. Quia cap. Cum iam dudum. 17. de prebend. & dignit. & cap. Bonæ. 1. de electione, quæ maximè huc pertinent, solum iubent tales priuari. Rebuffus tamen supra nu. 8. dicit, intrusum in prædictis tribus casibus esse ipso iure priuatum omni iure quod habebat; idem tenet Ancharanus consil. 51. Sed fortè solum volunt, talem non posse beneficium illud obtinere, nisi cum eo dispensetur ob quamdam inhabilitatem illa sui intrusione contractam. Aliud enim est fieri inhabilem, aliud ius acquisitum amittere, vt etiam docet Couarr. supra n. 7.

Quartus modus est, cum quis accipit titulum & possessionem à non habente potestatem; vt si alius erat collator: vel si iste à quo accepit, erat nominatum denuntiatus de excommunicatione aut suspensione ab officio. Colligitur ex cap. Quia diuersitatem. 5. de concess. prebend. & cap. fin. de excessibus Prælatorum.

Quintus est, cum quis accipit beneficium, quo alter iniuste & præter ordinem Iuris est priuatus, cap. fin. de excessibus Prælatorum.

124 Sextus est, cum quis vi occupat possessionem beneficij, cap. Eum qui. 18. de prebend. in 6. Hic perdit omne ius quod in beneficium illud per electionem, presentationem, aut collationem habebat, vt ibidem dicitur. Aduerte tamen, hunc non dici propriè intrusum, si antea collationem habebat, sed violentum, vt notat Dominicus in cap. Eum qui. & Ioannes Milis in Repertorio, v. Intrusus videtur: si tamen beneficium sic occupatum retinuerit, dicitur intrusus secundum eosdem, quia ius omne amisit. Sed hoc bene refutat Couarr. de sponsal. p. 2. cap. 6. §. 8. num. 8. quia non tenetur dimittere beneficium ante sententiam, sicuti nec in alijs casibus, vbi priuatio

Si habebat collationem.

beneficij obtenti ipso facto ob crimen statuitur. Vide supra cap. 29. dub. 8. num. 63. Quod si beneficium à nemine possidebatur, & is cui collatio facta est, possessionem vacuum propria auctoritate apprehendat, non incurret pœnam cap. Eum qui; nec amittet ius suum. quia hoc cap. in illo casu non loquitur, sed tantum cum alter è possessione est deiciendus, vt ex communi sententia DD. tradit Couarr. lib. 3. variarum, cap. 16. nu. 7. Simili modo legatarius propria auctoritate occupans rem sibi legatam, etiam post aditam hereditatem, prius tamen quam possessio ab herede fuerit apprehensa, non amittit ius quod in ea re habebat, vt docet Glossa in L. Non est dubium, C. de legatis. secus si possessione iam apprehensa, vt patet ex dicta L. Non est dubium. An autem qui ita beneficij possessionem accipit, possit puniri, & an ea possessio habeat effectus veræ possessionis, vide Couarr. n. 8. supra.

Septimus est, cum quis sine canonico & legitimo titulo scienter beneficij collationem & possessionem accipit. ita Rebuffus supra n. 5. & Nauar. cap. 27. n. 194. vt si quis in excommunicatione vel irregularitate sciens beneficium accipiat. Hunc Nauar. dicit fieri inhabilem ad idem beneficium impetrandum: vnde non solum egere dispensatione ratione censuræ, sed etiam rehabilitatione ratione illius intrusionis contracta. non tamen efficitur quis intrusus, si electionem vel presentationem in excommunicatione sciens accipit: hoc enim non est accipere beneficium.

Octauus est, cum quis electioni per abusum laicorum de se factæ consentit. Hic fit inhabilis non solum ad idem beneficium, sed etiam ad alia omnia; etiam si nec collationem nec possessionem acceperit. ita habetur cap. Quisquis. 43. de electione. Hic tamen propriè non est intrusus; quia nondum occupat beneficium.

Notandum est, Et si in prædictis modis non semper incurritur priuatio Iuris acquisiti ipso facto, sed solum vbi id à sacris Canonibus inuenitur statutum: tamen incurritur inhabilitas ad idem beneficium obtinendum; ita vt in impetratione talis beneficij debeat fieri mentio intrusionis, vel certè ante impetrationem curanda rehabilitatio: alioquin gratia seu collatio erit irrita; vt docet Nauar. cap. 27. num. 194. Rebuffus supra, n. 26. & probat Felinus in cap. Postulasti. 27. nu. 14. 15. 16. de Rescriptis: quem sequuntur alij.

DVBITATIO XXIII.

Vtrum requiratur morum probitas.

Respondeo & Dico Primò, Iure naturæ requiri morum probitatem, scilicet vt non sit deditus grauibus peccatis, nec infamis. Ratio enim dicitur, ministros Dei & Ecclesiæ maximè debere virtutibus esse ornatos, cum monitis, exemplis, & pijs precibus alios debeant in pietate promouere. Dominus quoque Matth. 24. requirit vt sint prudentes & fideles: fidelitas autem in munere Ecclesiastico, potissimum in charitate fundatur; vnde c. 7. Cum in cunctis. de electione, ex Concil. Lateran. In cunctis sacris ordinibus & Ecclesiasticis ministris, ætatis maturitas, grauitas morum, & literarum scientia sum inquirenda. & Conc. Tridentinum sess. 24. cap. 12. de reform. morum,

125
Probitas
requiritur.

morum, hanc probitatem strictè requirit. Et sanè huius conditionis in electionibus, præsentationibus, & collationibus potissima ratio est habenda; nam ex huius neglectu ferè pernicijs Ecclesiæ manavit, vt sæpè queritur Rebuffus. Sicuti enim is qui improbis est moribus, maximè Ecclesiæ obest, etiamsi alioqui sit eruditus; ita valdè probus, etsi aliquid scientiæ vel habilitatis defuerit, plurimum proderit: quod enim per se non poterit, curabit suppleri per alios. Ipse quoque cum suo exemplo plus proderit doctrinâ & concionandi gratia mediocri, quàm alij magnâ, bonis exemplis destituta.

126
Criminosus.

Dico Secundo, Collatio tamen facta criminoso, non est ipso Iure irrita, nisi illud crimen annexam habeat censuram, vel aliquam irregularitatem. Ita Nauarrus cap.27. num. 251. & in cap. Si quando. exceptione 16. & 17. Est tamen irritanda ab eo qui potestatem habet; vt patet ex cap. Inter dilectos, de excessibus Prælatorum.

DVBITATIO XXIV.

Quanam scientia sit necessaria.

127

Respondeo, Eam scientiam ad quodque beneficium requiri, quæ ad munus beneficio annexum ritè obeundum est necessaria, vt patet ex Concil. Lateranensi. cap. Cum in cunctis, de elect. estque ratione naturali per se euidens. Concil. Trident. sess. 22. cap. 2. requirit, vt is qui futurus est Episcopus, sit Doctòr aut Licentiatus in Theologia, vel Iure Canonico; aut saltem publico alicuius Academia testimonio ad alios docendos idoneus ostendatur.

Episcopus.

Vbi aduerte, ea omnia & singula, quæ Concilium Trident. constituit de Episcoporum præfectorum vita, atate, doctrina, & ceteris qualitatibus, seruanda esse in creandis Cardinalibus; vt eadem Synodus sess. 24. cap. 1. de reform. decernit. vnde pari eruditione instructi esse debent; & meritò, cum sint Summi Pontificis in causis fidei & morum intimi Consiliarij, & summus orbis terrarum Senatus. Eadem conditionem cap. 2. requirit in Archidiaconis; quia, inquit, oculi Episcoporum dicuntur. In ceteris nihil certè præferitur; sed quisque debet esse instructus scientia muneri suo necessaria, quæ vtrum adsit, iudicabit Episcopus & examinatores. quia nemo sine examine ad quodcumque demum beneficium admitti debet, vt statuit idem Concilium sess. 7. c. 13. & sess. 25. c. 9. vbi etiam reddit irritam institutionem factam ab eo, qui inferior est Episcopo, nisi institutus, fuerit antea ab Episcopo examinatus.

Cardinalis.

Archidiaconus.

128
Examen necessarium vt beneficium possit obtineri.

Excipiuntur tamen prælati & nominati ab Vniuersitatibus ad beneficia non parochialia: hi enim non sunt examinandi; vt patet sess. 7. cap. 13. Petes, Vtrum collatio, facta ei qui non habet scientiam requisitam, sit irrita?

129
Omnino illiteratus.

Respondeo, Si omnino est illiteratus, est irrita, vt docent plerique DD. cum Panorm. in cap. Dudum. 1. de electione, & Innoc. in c. 7. Cum in cunctis, eodem titulo. quod fusè probatur à Nauarro in cap. Si quando. exceptione 16. & confirmatur ex Trident. Concil. sess. 22. cap. 4. vbi irrita decernitur omnis promissio facta ei, qui atatem & ceteras habilitates integrè non habuerit. ratio est, quia planè

illiteratus nullo modo officium præstare potest: de quo vide plura apud Nauarr. in dictum cap. Si quando. Si autem aliquam scientiam habeat, ita vt aliquo modo possit satisfacere officio, non est quidem irrita, posset tamen & omnino deberet irritari; nisi breuè putaretur habiturus sufficientem. colligitur ex cap. Nisi. 10. de renuntiatione; tenet Innocent. in cap. Cum in cunctis, de electione, quem ceteri sequuntur.

Mediocris.

DVBITATIO XXV.

Qua aptitudo ex parte corporis sit necessaria.

Respondeo, Eam aptitudinem requiri, quæ necessaria est ad decenter præstandum officium: hæc enim Iure naturæ necessaria est; (vt colligitur ex cap. Nisi, de renuntiatione) ita vt collatio facta ei, qui hac aptitudine caret, sit irrita; vt colligitur ex Concil. Trident. sess. 22. cap. 4. Hinc cæcus est incapax; quia preces Canonicas recitare nequit.

130
Aptitudo corporis.

Notandum tamen, si debilitas aliqua superueniat, per quam reddatur ineptus ad officium; non ideo priuari beneficio antè obtento, sed posse eo liberè frui. si tamen habeat curam animarum, prouidere debet vt per Vicarium benè administretur.

Cæcus.

DVBITATIO XXVI.

Quæ & qualis intentio sit necessaria.

Respondeo & Dico Primò, Ad omne beneficium requiri determinatam intentionem status Ecclesiastici, & ordinis muneri suo necessarii. Est communis DD. non enim par est vt Ecclesiastica beneficia dentur iis, qui nondum statuerunt se ministerio Ecclesiæ mancipare.

131
Intentio status Ecclesiastici.

Sed dubium est, vtrum quis ita absolute debeat sibi statum Ecclesiasticum præfigere, vt non possit habere propositum deserendi, si lautior conditio in sæculo se obtulerit? Respondeo, &

Episcopus.

Cardinalis.

Archidiaconus.

128
Examen necessarium vt beneficium possit obtineri.

Qui excipiuntur.

129
Omnino illiteratus.

Dico Secundo, Satis esse, si sincerè & bona fide proponat statum Ecclesiasticum, nec velit ab eo proposito resilire, nisi causa aliqua iusta incidit, v. g. nisi frater primogenitus moriatur; vel nisi opimum matrimonium, ad conseruandam magnam familiam vel ad lites extinguendas necessarium, oblatum fuerit. Ita Nauarrus cap. 25. num. 118. ratio est, quia non est mens Ecclesiæ, per beneficium ita firmiter ad statum Ecclesiasticum obligare, vt nullam ob causam possit deserere; hoc enim nimis durum esset, & sæpè rationi non satis consentaneum; nam maiora bona impedirentur.

Intentio determinata esse debet.

Dico Tertio, Qui accipit beneficium eo tantum animo vt eius fructibus alatur donec studia absoluerit, vel opulentam vxorem inuenierit, cum animo tunc deserendi; peccat mortiferè, nec potest illud beneficium retinere. Est communis sententia DD. Vide Nauarrum de orat. miscell. 44. & l. 3. consilio 16. de præbendis.

132

Aduerte tamen, hunc non teneri ad restitutionem fructuum, si muneri suo satisfacit; quòd est contra Gabrielem d. 15. q. 8. a. 3. & Siluestrum v. Beneficium. 3. q. 5. nec esse ipso Iure priuatum, nisi

Non tenetur fructus restituere.

nisi sit beneficium parochiale, vt docet Nauarrus supra, & Sorus l. 1. o. de Iustit. q. 5. art. 6. quia nulloquam id iure statutum. Imò Sancius nosse l. 7. de matrimonio, disp. 45. nu. 29. putat in supradicto casu, si beneficium non haberet annexum Ordinem sacrum (vt quando illius functioni huiusmodi Ordinem non requirit) non esse peccatum mortiferum, modò suo muneri, quamdiu illud retinet, satisfaciatur; quia nullum Ius requirit in eo animum perseverandi in statu clericali. Imò Canones relinquunt illi liberum transitum ad nuptias, cap. Diuersis. 5. & cap. Ioannes. 7. de clericis coniugatis. Est tamen culpa venialis; quia aliquo modo decipit Ecclesiam, quæ putat eum bona fide statum Ecclesiasticum proposuisse. Hæc tamen deceptio non videtur grauis; alioquin Iure alicubi statuisset, vt tale propositum adiret, nec relinqueret postea tantam libertatem. Quæ sententia mihi non improbat; præsertim si causa studiorum, vel simili sine honesto id fiat, secus si vt splendide viuatur: quia Ecclesia tunc magis inuita, & deceptio est grauior.

133
Beneficium
parochiale
accipiens
sine animo
sacerdotij.

Dico Quarto, Qui accepit beneficium parochiale sine animo suscipiendi intra annum sacerdotij, vt fructus per annum ex eo percipiat, postea dimissurus, tenetur fructus perceptos restituere: nisi voluntate mutata, intra annum promotus fuerit; ita expressè habetur cap. Commissa. 35. §. Ceterum, de electione, in 6.

Vbi Notandum Primò, Sufficere intentionem sinceram & seriam, quamuis iustam aliquam conditionem annexam habeat, vt rectè Nauarrus supra. nam conditionalis intentio est vera intentio.

Secundò, Si voluntate mutata promotus fuerit ante finem anni, potest retinere fructus, non solum post mutatam voluntatem, sed etiam ante illam perceptos: quod est contra Sorum supra conclus. 1. Ita docet Glossa in dictum caput, & ipse textus indeterminatè loquens satis indicat. ratio est, quia collatio in hoc casu ab initio valida fuit, sed pendens à conditione: quæ si non fuerit secuta, resoluitur ab initio; sicut cum res venditur ea lege, vt si melior conditio obtigerit, sit inempta; si autem secuta fuerit, manet valida, & omnino irrefolubilis. Idem dicendum de perceptione fructuum.

Tertiò, Si intra præscriptum tempus promotus non fuerit, amittit ipso Iure beneficium & fructus simul, resolutò contractu, & efficitur inhabilis ad illud, vt habetur eodem capitulo. vnde non sufficit mutatio prioris voluntatis prauæ, nisi secunda voluntas habeat effectum.

134
Accipiens
cum animo
sacerdotij.

Dico Quintò, Qui tale beneficium cum debita intentione suscipiendi sacerdotij acceperit, si postea mutata voluntate promotus non fuerit intra tempus statutum, non tenetur ad restitutionem fructuum perceptorum ante voluntatem mutatam; sed neque etiam post illam, modò per idoneum Vicarium muneri suo satisfecerit; ita docet Glossa in cap. Commissa, Nauarrus cap. 25. num. 118. & Lopez part. 2. cap. 105. contra Sorum. ratio est, quia per illam mutationem animi non amittit beneficium antè legitime acceptatum; nec vllum Ius statuit vt etiam fructus amittat: ergo cum muneri suo satisfecerit, non est cur dicamus eum fructus amisisse: non enim Iure naturæ amisit, cum muneri sa-

Non amittit fructus.

tisfecerit; nec Iure positiuo, cum hoc non sit expressum.

Dices, Qui accepit curam sine intentione sacerdotij, tenetur ad restitutionem, si promotus non fuerit: ergo etiam is, qui accepit quidem cum intentione, sed postea eam bonam intentionem mutauit. Ita Sorus.

Respondeo negando consequentiam: tum quia multò plus peccauit qui ab initio intentione caruit; hic enim fraudulenter ad beneficium irrepsit: vnde potiori Iure puniri debuit, tum quia lex illa pœnalis est, ac proinde non extendenda extra suum casum, etiam si ibi esset par ratio, vt bene Nauarrus lib. 3. consil. 26. de præbendis. expleto tamen anno; si promotus non fuit, statim amittit beneficium, & in posterum fructus suos non facit.

Dico Sextò, Qui beneficium parochiale accipit animo non residendi, sed tantummodo permuandandi vel renuntiandi, peccat quidem, non tamen est ipso facto priuatus, nec tenetur ad fructuum perceptorum restitutionem. Quod peccat, probatur; quia decipit Ecclesiam, quæ in talibus requirit animum seruandi; & nisi putaret illum talem animum habere, nullo modo vellet ei conferre. Nauarrus tamen supra, consilio 24. insinuat non esse peccatum mortiferum: quia non inferitur notabile detrimentum. quod puto esse verum; nisi fortè resignet in fauorem eius, qui parum est idoneus; cui Prælati aliàs nullo modo voluisset conferre. Quod non tenetur ad restitutionem fructuum, patet; quia nullo Iure hoc est statutum. modò interim officio curet satisfieri, & cetera adfint.

135

136
Accipiens
parochiam
animo permuandandi.

DYBITATIO XXVII.

Utrum licitum sit habere plura beneficia, & qualia.

Respondeo & Dico Primò, Habere plura beneficia non est intrinsecè malum, nec omnino indifferens, sed speciem mali præferens, ita tamen vt adhibitis debitis circumstantiis honestari possit. Docet hoc D. Thomas quodlib. 9. ar. 1. 5. quem alij sequuntur. ratio est, quia solitariè consideratum inordinationem quandam inuoluit. Primò, Quia inuitur cultus diuinus, vnus enim habens tria beneficia, non recitat ter preces Canonicas, nec tria facit Sacra. Secundò, Ecclesia destituitur suis operariis: vnus enim non potest in pluribus locis residere, nec plurium ministrum obire. Tertiò, Fundatores frustrantur sua pia intentione. Quarto, Quia frustrantur multi pauperes fortè magis idonei, magisque vtilis Ecclesiæ futuri. Denique multa incommoda inuehit hæc pluralitas; vt nimiam sollicitudinem temporalium, ambitionem, luxum, incontinentiam, concubituum, lites, scandala pusillorum, & similia, vt merito Concilium Trid. sess. 24. ca. 17. dixerit, hanc pluralitatè esse peruersionem totius ordinis Ecclesiastici, & Alexander III. cap. Quia in tantum. 7. de præbendis, pluralitatem beneficiorum certum continere casuarum periculum. vide Extrauagan. Ioan. XXII. quæ incipit, Execrabilis, vbi decem incommoda recensentur ex hac pluralitate promanantia. Cum certis tamè circumstantiis honestari

137
Habere
plura beneficia.

Speciem
mali ha-

Mala pluralitatis
beneficiorum.

vel vtrumque residentiam poscat; semper ad-
 eptione secundi vacare primum.

Respondet Nauarrus l. 3. consilio 42. de præ-
 bendis, si constaret Congregationem declarasse
 Concilium Trid. sess. 7. c. 4. ita esse intelligendum,
 eaque declaratio à S. Sanctitate confirmata esset,
 ita fore tenendum; sed quia id non constat, &
 aliàs ex verbis Concilij id non videtur efficaciter
 probari posse, (quod ipse conatur ostendere) non
 est quòd ad hanc sententiam nos adstringat. Equi-
 dem hanc declarationem numquam vidi. Si ta-
 men facta est, iudico tenendam; & omnia huius-
 modi beneficia in eo conuenire cum incompatibi-
 libus primi generis.

146 *Omnia que
 requirunt
 residentiam
 sunt incom-
 patib. se-
 cundi ge-
 neris.*
 Altera pars, *Quòd sint incompatibilia salte secun-
 di generis*, patet ex Conc. Trid. nam sess. 24. c. 17.
 sic habetur: *Statuit sancta Synodus, ut in posterum
 vnum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis con-
 feratur; quod quidem si ad vitam eius, cui confer-
 tur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilom-
 minus aliud simplex sufficiens, dummodo vtrumque
 personalem residentiam non requirat, eidem conferri.
 hacque non modo ad cathedrales Ecclesias, sed etiam
 ad omnia alia beneficia tam secularia quam regula-
 ria quacumque, etiam commendata, pertineant, cu-
 iuscumque tituli ac qualitaris existant.* Vnde ma-
 nifestè sequitur, omnia beneficia simplicia, que re-
 sidentiam postulant, esse aliquo modo incompati-
 bilia, nec absque dispensatione Pontificis posse
 huiusmodi plura obtineri, nec Episcopum posse
 in hoc dispensare; quia non potest dispensare in
 statuto Concilij generalis, si tamen absque dis-
 pensatione alicui conferantur, collatio erit valida;
 poterit tamen eo priuari, nisi quòd antè habebat,
 dimiserit.

147 *Qualia
 possunt ha-
 beri plura,
 absque dis-
 pensatione.*
 Dico Sextò, Sunt tamen aliquot casus, in qui-
 bus etiam post Concilium licet habere plura be-
 neficia, etiam sine dispensatione.
 Primus est, Quando sunt beneficia simplicia,
 etiam Canonicatus, quorum neutrum sufficit ad
 honestum vitæ cultum, & alterum non requirit
 residentiam; siue ex sui institutione, siue ex præ-
 scripta consuetudine.
 Secundus, Si Ecclesia cathedralis vel paro-
 chialis vel Dignitas sit insufficientis sustentationi,
 poterit simul cum ea obtineri beneficium simplex
 non requirens residentiam: vterque casus satis
 colligitur ex verbis Concilij Tridentini sess. 24.
 cap. 13. & 17.

*Cum
 me*
 Vbi Aduerte, ante Concilium potuisse etiam
 plura curata possideri; si ita erant tenuia, vt non
 possent proprios Sacerdotes alere, vt patet e. Eam
 te, in fine, de ætate & qualitate. Nunc verò id mini-
 me licet absque dispensatione Pontificis, vt patet
 sess. 24. cap. 17. vbi habens plures parochias cogi-
 tur sub grani pena alteram resignare, etiam si
 neutra per se sufficiat.

148 *Cum
 me*
 Crediderim tamen, si essent valde vicinæ, ita
 vt vnus possit vtrique satisfacere, & non possent
 facile inueniri qui vni soli velint deseruire, posse
 duas eidem committi, iuxta cap. 1. Clericus.
 21. quæst. 1.

*Parochialis
 annexa Ca-
 nonicatu.*
 Tertius, Si Dignitati vel Canonicatu accessio-
 ri annexa sit Parochialis, quæ per Vicarium ad-
 ministrari solet, ratio est, quia beneficium alteri
 perpetuò vnium, censetur vnium cum illo, &
 illius naturam induit. vnde parochiale annexum
 simpliciter, induit conditionem simplicis: quod

etiam post Concilium Tridentinum locum habet, vt
 docet Nauarrus.

Quartus, Si vnium beneficium detur in titu-
 lum; alterum in commendam ad sex menses, et-
 iam si esset parochiale, vt patet ex cap. Nemo, de
 electione, in 6. saltem cum Ordinarij dispensatio-
 ne. non tamen potest dari vnium in titulum, & al-
 terum in commendam perpetuam, sine iusta causa
 & dispensatione Pontificis; quia commenda per-
 petua æquiualeat titulo, vt probat Nauarrus c. 25.
 num. 126.

DVBITATIO XXVIII.

*Utrum per dispensationem Pontificis li-
 citum sit habere plura beneficia requi-
 rentia residentiam.*

149 **R**espondeo & Dico Primò, Id licitum esse,
 modò adsint iustæ causæ dispensandi. ratio
 est, quia Concilium nec potuit nec voluit impe-
 dire quin ob legitimas causas Pontifex possit dis-
 pensare; nam Pontifex est supra Concilium: &
 SS. Pontifices olim dispensarunt; inter quos est
 Gregorius I. vt patet l. 2. epistolarum cap. 52. qui
 quemdam Episcopum Agnellum nomine ob cer-
 tam Ecclesiæ necessitatem duos Episcopatus ha-
 bere voluit.

Causæ iustæ dispensandi præcipuæ sunt duæ,
 ad quas reuocantur ceteræ. Prima est, Ecclesiæ
 necessitas vel magna vtilitas, vt si desint alij vel
 idonei, vel satis potentes. sic filiis Principum dan-
 tur interdum Episcopatus, etiam ante ætatem, vt
 Ecclesiæ aduersus hæreticos defendantur: Item
 si quis putetur magis profuturus absens, quàm
 alius præsens.

Secunda, Si alicui viro præclaro vnium non suf-
 ficiat ad honestè viuendum iuxta suum statum,
 & alterum possit ei sine Ecclesiæ incommodo da-
 ri, hæc tamen causa reducit ad primam. nam
 quòd personæ sublimes & literatæ pluribus be-
 neficijs honorandæ sint quando vnium non est
 sufficiens, iuxta Conc. Lateran. cap. De multa; id
 non debet fieri nisi propter Ecclesiæ vtilitatem.
 Quod confirmatur ex D. Bernardo epist. 271. ad
 Comitum Theobaldum: *Honores & dignitates
 Ecclesiasticas non ignoro debere his, qui eas dignè &
 secundum Deum administrare & velint & possunt;
 porro eas acquiri parvulo filio vestro precibus meis
 vel vestris, nec vobis iustum, nec mihi turum esse no-
 ueritis: nam nec cuiquam vel adulto plures in plu-
 ribus Ecclesijs habere licet, nisi dispensatione quidem
 ob magnam vel Ecclesiæ necessitatem, vel persona-
 rum vtilitatem.* hæc ille.

Petes, Cur requiritur dispensatio Pontificis, si
 Episcopus videat Ecclesiæ suæ profuturum vt ei-
 dem plura beneficia dentur?

150 *Cur requi-
 ratur dis-
 pensatio.*
 Respond. Primò, Quia lex obligat inferiorem,
 quamdiu ex eius custodia nihil euidenter sequi-
 tur contra legislatoris intentionem: atqui num-
 quam aut rarissimè euenit aliquid contra inten-
 tionem Concilij ex eo quòd vni non dentur duo be-
 neficia, numquam enim euidenter est id esse contra
 maius Ecclesiæ bonum & proximorum ædifica-
 tionem; quæ duo Concilium per huiusmodi præcepti
 custodiam intendit.

Secun-

Secundò, Quia potissimum Summi Pontificis est procurare bonum Ecclesie, & iudicare quid ad illud expediat.

151
Si desit iusta causa, dispensatio non sufficit.

Dico Secundò, Si non putetur subesse legitima causa dispensandi, is qui obtinuit plura beneficia per dispensationem, non est tutus in conscientia, sed tenetur alterum resignare. Est ferè communis Theologorum: D. Thomæ quodlib. 9. art. 15. Maioris in 4. distinct. 24. quæst. 4. Adriani in 4. quæst. de pluralitate præbendarum, quæ incipit, Quia in præmissis. Caietani v. Beneficiorum multiplicatio, Soti lib. 3. de iustit. quæst. 6. art. 3. Toleti l. 5. cap. 71. Eandem docent multi Iurisperiti, & Canonista. Ratio est Primò, Quia Papa non est dominus beneficiorum, sed dispensator: atqui dispensator non potest pro suo arbitrio distribuere bona dispensanda, sed iuxta rationabilem voluntatem eorum, qui ea dispensanda reliquerunt, & eorum, in quorum utilitatem relicta sunt, quæ ista proposito est Ecclesia vniuersalis. Secundò, Quia est contra ius diuinum naturale vt vnus habeat plura beneficia; nisi aliqua iusta ratio id excuset, vt docet Caietanus supra: atqui Pontifex non potest dispensare in ijs quæ sunt Iuris diuini naturalis, nisi interueniat iusta causa, quæ turpitudinem tollat, vt patet in votis, iuramentis, & indulgentiis. de quo vide Bernardum epist. ad Robertum nepotem, & epist. 7. ad Adam monachum.

152
Collatio tamen est valida.

Aduerte tamen, collationem secundum beneficij, tertij, & ceterorum esse validam, & conferre verum titulum, vt patet ex multis Canonibus: nam ad nullum eorum iure natura est inhabilis. tenetur tamen resignare aliqua ex illis, quæ vel non sunt illi secundum suum statum necessaria, vel in quibus legitima causa non intercedit: fructus tamen interim perceptos non tenetur restituere, si muneris suo saltem per Vicarium satisfecit, si non satisfecit, tenetur ad fructuum restitutionem, vel Ecclesie, vel ad pias causas. vide infra numero 159.

Sequitur nunc vt dicamus ad quæ beneficiarij obligentur.

DVBITATIO XXIX.

Utrum teneantur beneficiarij ad residentiam, & non residentes amittant fructus.

153
Iure dispen-
santur.

Respondeo & Dico Primò, Omnes qui habent beneficia, quibus incumbit cura animarum, tenentur iure diuino residere, & per se suum officium administrare. Probatur ex Concilio Tridentino sess. 23. cap. 1. de reform. Cum, inquit, precepto diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, onus suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbiq; Dei predicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere, pauperum aliarumq; miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cetera omnia pastoralia incumbere; que omnia nequaquam ab eis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non inuigilant, & assistunt, sed mercenarium more deserunt, & c. Ex quibus verbis patet, Episcopos, & alios habentes curam animarum

iure diuino teneri ad personalem residentiam, ex Concilij Tridentini sententia. Ratio est, quia iure diuino naturali tenentur ad præstandum ea quæ sunt sui officij.

Dices, Sufficit vt faciant per alios.

Respondeo, Non sufficere, nisi causa maioris momenti cogat eos ad tempus abesse; nam contra rectam rationem est vt tu officium cum emolumentis habeas, & alius præster onus; nisi maior aliqua ratio cogat te abesse. Confirmatur, quia quicumque accipit aliquod officium, obligat suam personam ad proprias illius officij functiones, tanciteque promittit se illas obiturum quantum resferet; & nisi putaretur id facturum, non ei daretur. Numquam enim Princeps constituet Gubernatores vrbium, Præfectos arcium, Ductores militum, qui putantur crebro futuri absentes, & per alios administrari.

154
Non sufficit vt regant per alios.

Dico Secundò, Episcopi possunt quotannis sine continuè siue interruptè, à suis Ecclesijs ex iusta causa ad summum tres menses abesse, sine alia Superioris approbatione. non tamen amplius; habetur dicto cap. 1. sess. 23.

155
Episcopi tres menses abesse possunt.

Vbi Nota, debere iustam causam subesse, & totum sine vilo detrimento gregis fieri; alioquin grauius peccant, vt colligitur ex verbis Concilij: onerat enim Concilium eorum conscientias ea in re, proposito Dei timore.

Dico Tertio, Si præter hos tres menses oporteat ob aliquas causas amplius abesse, (vt si Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, euidens Ecclesie vel Reipubl. utilitas amplius abesse postulent) debent hæc causæ approbari à Pontifice, vel à Metropolitanano, vel eo absente, ab antiquiore Suffraganeo, (qui etiam Metropolitanus absentiam approbare debet) iudicè in scriptis. Ita Concilium ibidem. Vbi Nota, excipi debere vnum casum, nempe quando Episcopus abest ob munus vel officium Reipubl. quod Episcopatu est annexum; ad hoc enim obligatur ex officio: sicut quando in Belgio & in Germania debent interesse comitijs Ordinum, in quibus ipsi primum locum obtinent.

156
Si amplius causa approbanda à Superiore, &c.

Dico Quarto, Si præter tres menses supradictos aliquamdiu abfuerint sine dicta approbatione, fructus pro rata temporis absentie non faciunt suos, sed tenentur in conscientia eos vel fabricæ Ecclesie vel pauperibus loci erogare. Ita decernitur eodem cap. & additur, Prohibita quacumque conuentione vel compositione, qua pro fructibus malè perceptis appellatur, ex qua etiam predicti fructus in totum aut pro parte ei remitterentur. Quibus verbis prohibet omnibus Pontifice inferioribus, & hortatur ipsum Pontificem ne vilo modo eis hæc restitutio condonetur. His adde, si Episcopus aliquis amplius annum continuè à sua Ecclesia sine dicta approbatione abfuerit, Metropolitanus tenetur eum, sub pœna interdicti ingressus Ecclesie eo ipso incurrenda, intra tres menses Romano Pontifici denunciare. Ipsum autem Metropolitanum absentem, Suffraganeus antiquior residens denunciare debet. Ita habetur sess. 6. c. 1. de reform. quod autem illo cap. dicitur de quarta parte fructuum vnius anni amittenda per absentiam sex mensium, actum est sess. 23. c. 1. vbi statuitur vt fructus omnes pro rata absentie amittat.

157
Alioquin fructus non faciunt suos. Applicandi fabricæ vel pauperibus.

158
Si amplius annum abfuerit.

Petes, Utrum si causæ sint approbatæ, sed non in scriptis, ista pœna incurrat?

158
Si non in scriptis approbata.

P p

Respon-

Respondeo, Si causa legitimæ fuerunt, & approbata sunt ab eo à quo debebant, probabile est ob illam solemnitatem omisam, in foro conscientia fructus non amitti. in sinuat Nauarrus lib. 3. consil. de præbendis. consil. 13. num. 11. Ratio est, quia concessio iure gentium & naturæ valida fuit. In foro tamen exteriori posset condemnari. vide supra cap. 19. dub. 3. Applicatur hi fructus fabricæ, vel pauperibus loci, vt patet ex Concilio supra.

Vbi Aduerte, non adstringi fabricæ aut Ecclesiæ: fortasse idcirco, quia nullum damnum in temporalibus Ecclesiæ per illam absentiam datum est; & aliàs illi fructus censentur quasi superflui, cum Episcopus illorum sit incapax. Itaque permittitur vt in pauperes sicut alia superflua Ecclesiasticorum dentur; vt qui olim suam quartam in bonis Ecclesiasticis habere solent.

¹⁵⁹ Dico Quintò, Parochi si ultra duos menses absque legitima causa per Episcopum cognita & approbata absint, præter culpam mortalem, quam incurrunt, etiam fructus pro tempore absentia amittunt. colligitur ex eodem Concilio, d. cap. 11.

Vbi Notandum Primò, Dubium esse, vtrum sine tali approbatione possint abesse continuè vel diuini vt Episcopi, saltem ad duos menses. Nauarr. c. 25. n. 121. probabiliter existimat posse, si iustam causam habeant. Ratio est, quia ante Concilium licebat, & Concilium hoc expressè non reuocauit. si tamen sine iusta causa absint, peccabunt mortiferè contra præceptum Concilij, & contra Ius naturale diuinum, de residendo.

Nec obstat, quòd Concilium dicat, vt non obtineant licentiam ab Ordinario nisi ad bimestre, & ex graui causa; quia intelligendum est de alio bimestri. Interim tamen idoneus Vicarius cum debita mercede est substituendus. Verius tamen puto, mentem Concilij esse vt non absint primo bimestri absque facultate Episcopi; quia dicit, *quando eumque eos abesse contigerit, debere causam esse prius cognitam & probatam per Episcopum.* quod facile fieri potest, cum Episcopus non procul absit. Credo tamen non esse receptum.

¹⁶⁰ Notandum Secundò, Quod de Parochis dictum est, censendum esse de alijs, qui aliquod beneficium curam animarum habens obtinent, vt inquit Concilium. vnde etiam de perpetuis Coadiutoribus est intelligendum, vt Congregatio Cardinalium dicitur explicuisse, & merito; quia talis Coadiutoria est beneficium cum cura.

¹⁶¹ Petes, Vtrum prædicta pœna pertineant ad Abbates & Priores habentes curam animarum suorum Religiosorum?

Respondeo, Non pertinere, nisi habeant curam animarum sæcularium, per ipsosmet administrandam; de tali enim cura loquitur Concilium, vt Congregatio respondit. Regulares autem, in administratione suorum subditorum Regularium relinquit suis statutis, & Superiorum Regularium ordinationibus.

¹⁶² Dico Sextò, Qui in Ecclesijs Cathedralibus vel collegiatis obtinent Dignitates, Canonicatus, Præbendas, vel Portiones, non possunt quolibet anno abesse ultra tres menses; alioquin primo anno debent priuari dimidia parte fructuum, quos ratione præbendæ suos fecerunt; secundo anno, omnibus fructibus, quos illo anno lucrati fuerint. Ita disponit Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 12. de re-

form. continet autem hæc dispositio pœnam sententia ferendæ, non late.

Vbi Notandum Primò, Reuocari hic omnia statuta & consuetudines, quibus antea licitum erat ultra tres menses abesse; non tamen reuocantur priuilegia, si quæ erant à Sede Apostolica concessa. vnde quod Nauarr. c. 25. n. 121. ait, consuetudinem honestam, esse causam excusantem longiorem absentiam, verum quidem est iure antiquo; non autem post Concilium, vbi hoc eius decretum est receptum. secus verò vbi non est receptum; nam ibi iure antiquo agitur. Consuetudo tamen absentandi se sine causa non valet, ex communi Doctorum sententia, teste Nauarro supra.

Notandum Secundò, Esse aliquas causas excusantes à residentia.

Prima est, Audire Theologiam vel Ius Canonicum: hoc enim excusat à residentia ad quinque ¹⁶³ annos. *Causa excusans absentiam.*

Secunda, Docere Theologiam vel Ius Canonicum: hoc excusat quantumuis longo tempore. In his duobus casibus non requiritur licentia Episcopi vel Prælati; nam ad Theologiam audiendam & docendam, Pontifex facit copiam in c. Super specula, de Magistris. & hoc caput DD. extendunt ad Ius Canonicum, secuti Archidiaconum in cap. 2. de priuilegijs lib. 6. & Panormitanum in dictum cap. Super specula. Ad litteras autem humaniores & philosophiam requiritur licentia Episcopi; nisi vbi contraria consuetudo vigeret, vt notat Nauarrus cap. 25. num. 21.

Tertia, Si duo Canonici sint in obsequio Episcopi ad Ecclesiæ vtilitatem, c. Ad audientiam, de Clericis non residentibus: quod Nauarr. l. 3. consil. 11. de præbendis, extendit ad obsequium Cardinalis non Episcopi, quem dicit posse habere saltem vnum Canonicum sui tituli in obsequium.

Quarta est, Obsequium Papæ ad Ecclesiæ vtilitatem. cap. Cum dilectus, de Clericis non residentibus.

Quinta, Licentia legitima ex quauis alia iusta causa, iuxta Glossam in c. Inter quatuor, de Clericis non residentibus.

Sexta, Honestæ consuetudo; iuxta Innocentium, Panormitanum, & alios Doctores, vt docet Nauarrus supra sed hoc intellige, vbi Concilij dispositio non est recepta. quòd si quis absque iusta causa absit, peccat mortiferè: non tamen tenetur ad fructuum restitutionem, si officio satisfecit, nisi ad eam condemnatur; vt docet Nauarrus ex Panormitano c. 25. nu. 121. vel nisi id iure sit expressum, iuxta ea quæ supra diximus de Episcopis & Parochis.

¹⁶⁴ Notandum Tertio, Eos, qui etiam ex legitima causa absint, non lucrari distributiones: quia Concilium illis solis vult eas dari, qui horis statutis interfuerint, quauis collusionem & remissione exclusâ. nisi aliquis cogatur abesse ad curanda Ecclesiæ negotia ex commissione Capituli, vel omnino inuoluntariè absit ob morbum, captiuitatem, excommunicationem iniustam, &c.

Notandum Quarto, Eos, qui intra duos menses adepti certi beneficij, non fecerint fidei professionem, fructus non facere suos. & quidem prouisi de beneficijs curam animarum habentibus, tenentur intra duos menses adeptæ possessionis coram Ordinario, vel eo impedito, coram generali eius Vicario, seu Officiali, orthodoxæ fidei ¹⁶⁵ facere *Professio fidei.*

¹⁵⁹ Si parochi ultra duos menses absint.

¹⁶⁰ Extenditur ad omnes habentes curam animarum.

¹⁶¹ Non tamen ad Abbates vel Priores.

¹⁶² Alij beneficij.

Reuocantur contra-ria consuetudines.

¹⁶³ *Causa excusans absentiam.*

¹⁶⁴ *Distributiones.*

¹⁶⁵ *Professio fidei.*

facere

facere publicam professionem, & iurare se permanentes in Ecclesie Romanae obedientia. Idem debent facere prouisi in Ecclesia cathedrali de Canonatibus vel dignitatibus, non solum coram Ordinario, sed etiam coram Capitulo; alioquin non faciunt fructus suos, nec possessio ipsis suffragatur. Concilium dicta sess. 24. cap. 12.

DVBITATIO XXX.

Vtrum beneficiarj omnes teneantur ad preces canonicas.

¹⁶⁶ *Obligantur ad preces canonicas.* **R**espondeo, Beneficiarios regulariter ad preces canonicas obligari. est communis sententia Doctorum in c. 1. de celebr. Missarum, & patet ex cap. Quia per ambitiosam, de rescriptis, in 6. vbi Pontifex reprehendit quosdam beneficiarios, quod officium precum, propter quod beneficium datur, omittent: & ex Concilio Lateranen. sub Leone X. sess. 9. §. Statuimus; vbi priuantur fructibus, qui officium diuinum non dixerint. Ratio est, quia iure naturali quisque tenetur ad officium, propter quod beneficium datur: atqui omne beneficium Ecclesiasticum datur propter officium, in quo regulariter comprehenduntur preces canonicæ; vt patet ex communi sententia Doctorum, & praxi Ecclesie.

Dixi regulariter, quia sunt quedam beneficia, quæ ex sua institutione ad preces illas non adstringunt, sed ad aliquas alias; vt sunt quedam Præposituræ & aliqui Personatus & aliqua Præstimoniam, quæ non requirunt quotidie nisi Horas B. Virginis, vel 5. Pater noster & Aue Maria, vel semel Psalmum Miserere: His tamen exceptis, omne beneficium iure communi annexum habet onus horarum canonicarum. vide Nauar. de oratione cap. 7. num. 27. & 28. & in Enchirid. cap. 25. num. 103.

Petes, Ex quo tempore incipiunt obligari?

¹⁶⁷ *Quando incipit hæc obligatio.* **R**esp. Certum est non obligari à tempore præsentationis vel electionis; quia per hæc nondum habent dominium, seu ius in re. Nauar. cap. 7. De orat. nu. 29. docet eos obligari ab eo tempore, quo per collationem & acceptionem, vel per institutionem, aut confirmationem incipiunt habere ius in re, & beneficium incipit esse ipsorum: ex illo enim tempore debentur illis fructus, etiam si nondum possessionem acceperint. Ibidem refellit sententiam eorum, qui putant eos non teneri ante captam possessionem. Hæc sententia Nauarri est rationi & Iuri valde conformis.

Altera tamen, quod non teneantur ante captam possessionem, est probabilis, eamque tradit Flaminius Parisius Romanus lib. 1. de resignatione beneficiorum quaestione 9. num. 13. vbi dicit hanc opinionem esse veriorum, & crebriorem, & in praxi obseruari. Ratio esse videtur, quod sæpè ante initam possessionem ius sit incertum, & multis modis possit impediri, qui primum se produnt quando capienda est possessio. Crediderim tamen hanc sententiam non debere intelligi de iis, qui per inductionem differunt possessionem, vt Horas non recitent; sed solum de iis, per quos non stat quò minus eam capiant: quia fraus nemini debet patrocinari.

DVBITATIO XXXI.

Quæ excusent beneficiarium à precibus horarijs. & quæ non excusent.

Loquor de illis, qui non sunt in sacris Ordinibus.

¹⁶⁸ *Causæ excusantes à lectione horarum.* **R**espondeo Primò, Excusari eos, qui nec per se, nec per suos, vltos fructus percipiunt, nec percepturi sunt; si per eos tamen non steterit quò minus sint percepturi; vt docet Nauarrus supra, Caietanus v. Horarum canonicarum omisso, & alij Doctores communiter. neque enim beneficiarij ex sua vel Ecclesie intentione se obligant ad officium, nisi persoluantur eis stipendia sustentationis, propter quæ illam obligationem susceperunt. cessante enim stipendio ministri, cessat obligatio ministri.

Secundò, Probabile etiam est excusari eos, qui valde parum recipiunt; vt si beneficium sit adeò tenue vt non habeat supra octo aureos. Ita tenet Sotus lib. 10. quæst. 5. art. 3. quem sequuntur multi recentiores, & fatetur Nauar. supra cap. 7. n. 27. multos viros pios & doctos ita sentire: quamuis ipse cum plerisque contrarium teneat. Probatur Primò, Quia qui aliarum deseruit, de aliarum viuere debet, iuxta Apostolum 1. Corinth. 9. ac proinde qui Ecclesie seruit, de eius prouentibus viuere debet: atqui beneficiarij Ecclesie seruiunt: ergo beneficium tribuere debet saltem bonam partem moderatæ sustentationis; alioquin non censetur viuere de Ecclesia. Hoc argumento probat Pontifex cap. Cum secundum Apostolum. 16. de præbendis, eos, qui ordinantur, debere alii ab Ecclesia. Secundò, Isti beneficiarij non obligantur ratione ordinis, vt suppono; sed tantum ratione mercedis, quam accipiunt: atqui non videtur rationabile, vt is, qui solum septem vel octo aureos accipit pro mercede, ad tantumdem obligetur, ad quantum qui centum. Tertio, Qui nihil accipit, ad nihil tenetur: ergo similiter qui parum, non tenebitur ad rotum. Quarto, Quia, vt ait Caietanus, v. Beneficiorum multiplicatio, beneficium adeò tenue vt non sufficiat ad sustentandum ministrum, non est beneficium, nisi imperfectè, cum non possit sana ratione institui vt vnum sit in vnus stipendium. quod confirmatur ex cap. Is cui. 19. de præbendis, in 6. vbi beneficium insufficientis habetur quasi non esset beneficium. Vnde mihi videtur probabile, eum non teneri ad quotidianum penium precum canonicarum, cuius beneficium est adeò tenue vt non suppeditet bonam partem tenuis sustentationis, v. g. 15. vel 16. aureos. Sentio tamen, omnes qui aliquid percipiunt, aliquoties teneri per annum, v. g. festis & Dominicis, prout ratio dictauerit: non enim par est vt fructus aliquos percipiant, & numquam officium recitent; neque etiam vt ob tam exiguos fructus obligentur quotidie; sed vtendum *benignè*, & moderandum iuxta piam Ecclesie mentem.

Tertio, Non excusari beneficiarium à precibus primo & secundo anno, eò quòd fructus beneficij horum annorum in quibusdam Ecclesiis debeantur fabricæ vel decessori mortuo, vt notat Nauarrus cap. 7. num. 30. rum, quia debetur ei dimidia pars fructuum, prout Ioannes XXII. de-

P p 2 clara-

claravit Extrauag. Suscepti, Ne sede vacante; tum quia potest deseruire & sustentationem Vicario debitam percipere; tum quia alterius anni fructus recipiet post mortem; alterius verò recipiet per totam vitam, nempe in eo, quod alioquin cum ceteris debuisset in fabricam impendere, quam ex fructibus suorum beneficiorum tenentur conseruare. nam quarta bonorum Ecclesiasticorum, quæ ex Canonum dispositione fabricæ erat assignanda in illis Ecclesiis, Canonicorum præbendis incorporata fuit, cum onere vt ex fructibus suarum præbendarum fabricam conseruarent. Vt autem se ab hoc onere liberarent, effecerunt vt quod tota vita per partes contribuendum erat, primo anno simul daretur: per quod non potuerunt efficere vt illo anno non diceretur officium. Neque credibile est, eam mentem S. Sanctitatis, si illud inuentum confirmavit, fuisse: non enim par est vt per talia compendia diuinum officium minuat.

171 *Sententia non improbabilis.* Aduerte tamen, etsi hæc sententia omnino vera videatur; non videri improbabile, novos Canonicos non teneri pro anno fabricæ, si non est in eorum potestate vt aliquid ex eo recipiant. Ita enim in simili tenet Nauarrus de oratione cap.7. nu.30. sicut enim à principio potuerunt beneficia cum hoc modo institui, vt primo vel secundo anno sint prouisis inuilia, fructibus eorum fabricæ applicatis; ita etiam longa consuetudine potuit id introduci: sic enim non videtur illis refundi postea quod tunc amittunt; quia nunquam habuerunt obligationem pro fabrica contribuendi.

Dixi, Si non est in eorum potestate vt aliquid recipiant: quia si residendo possunt recipere saltem ex distributionibus, quantum sufficit ad bonam partem sustentationis, non video quomodo possint excusari: cum per illos stet quò minus recipiant. Si enim velint munere suo fungi, recipient aliqua, etsi non omnia. nam distributiones ad fructus beneficiorum pertinent. Nisi fortè possint excusari per consuetudinem legitime præscriptam, de qua tamen debet constare.

172 *Adolescentes habentes altaria.* Quartò, non videri excusandos eos, qui habent altaria vel cappellas, & cum non sint Sacerdotes, expendunt maiorem partem prouentuum in substitutum, qui Sacra faciat: est enim nonnullus abusus merito reformandus, quòd talia beneficia dentur adolescentibus. vnde non potest ceteri mens Ecclesiæ vt excusentur. deinde illa beneficia per se sufficiunt ad bonam partem sustentationis. quòd autem illi maiorem partem prouentuum cogantur aliis dare, est ex eo quòd ipsi sint inepti ad beneficij primariam functionem; quòd non debet eos excusare. Quia tamen passim est consuetudo vt talia dentur adolescentibus, tenferit aliquis non condemnandum, si quis cum illis aliqua moderatione causâ studiorum vtendum patet. supposita enim illa consuetudine, non plus censetur beneficium suo possessori valere, quam quòd deducto stipendio Sacerdotis superest. Sed hæc res non est amplianda; nec putarim faciendum absque expresso vel tacito Pontificis consensu.

173 Quintò, Eos, qui sunt in possessione, non excusari ex eo quòd beneficium sit litigiosum, aut quòd fructus sint sequestrati, vel ab alio percipiuntur; si tamen probabile sit, ipsos in lite fore superiores, & fructus illos obtenturos. quòd si non sperant se pro illo tempore quidquam habituros, non tenentur.

Sextò, Non excusantur qui ideo nihil recipiunt, quòd non resideant, cum tamè possint: qui si residerent, essent recepturi saltem distributiones: quia per ipsos stat quòd non percipiant. secus si impediantur à residentia vel periculis hostium, vel aliâ causâ quam ipsi non possunt tollere.

Pætes, Quid dicendum de adolescentibus, qui magna parentum auctoritate coguntur acceptare beneficium, cum tamen non habeant animum status Ecclesiastici, & statim dimitterent, si auderent?

174 Respond. Teneri illos ad officium, si tamquam beneficiarij intendunt percipere commodum fructuum: quia tunc censetur satis consentire in acceptionem & retentionem beneficij & oneris annexi. si verò nolunt quidquam ex fructibus, non videntur teneri. ratio est, quia acceptatio illa & retentio beneficij est omnino coacta per metum reuerentialem, coniunctum cum minis vel importunitate parentum, qui in adolescentibus æquiparatur iusto & graui. hic autem sicut excusat à voto, etiam solemnè explicitè vel implicitè factò, vt infra cap.40. dubit.2. dicitur; ita etiam ab obligatione preceum Canonicarum. Confirmatur, quia non est æquitati consentaneum vt ille cogatur ad preces illas, qui non cupit frui stipendio, & solum coactus recipit titulum beneficij. debet tamen iste habere animum resignandi quamprimùm commodè poterit, & restituendi fructus perceptos: non tamen amplius quàm ad ipsum peruenit. Imò si pater nomine filij perceperit, vt fieri solet, non videtur hic filius magis obligatus ad restitutionem, quàm ceteri heredes, quos pater suis bonis aluit. Sed primo loco tenebitur pater; & eo mortuo, omnes heredes pro rata. ille enim est causa iniuriæ, non filius. nec emolumentum censetur magis ad filium peruenisse, quàm ad alios, cum parens illum non minus teneretur alere quàm ceteros. non est ergo cur illi totum onus restitutionis imponatur. debet tamen filius ceteris illam obligationem patefacere.

Fructus à quo restituendi.

DVBITATIO XXXII.

Vtrum beneficiarij non recitantes preces Canonicas, teneantur ad restitutionem fructuum.

175 **R**espondeo, Omnes beneficiarios ad preces Canonicas adstrictos, saltem ex dispositione Iuris Canonici teneri ad restitutionem fructuum, si eas omiserint, idque pro rata omissionis. Probatur ex Concilio Lateran. sub Leone X. se ss.9. *Statuimus vt nemo beneficium curatum aut simplex habens, qui elapsis sex mensibus ab eius consecratione, sine legitimo impedimento officium diuinum recitare omiserit, pro tempore quo non recitauit, fructus suos faciat; imò eos impendere tamquam rem iniuste captam in fabricam Ecclesiæ aut eleemosynas pauperum teneatur.* Vtrum quia prædicta constitutio videtur quibusdam, inter quos Sotus lib.10. quaest.5. art.6. non fuisse recepta, vel potius quia non fuit satis ad praxim reducta, nec satis distinctè rem complexa, ideo à Pio V. fuit renouata, declarata & suppleta per quamdam Bullam, quam refert Nauarrus cap.2. num.122. ex qua

Notandum Primò, Eum, qui habet beneficium cum

Primis sex mensibus non tenentur ad restitutionem, nisi peccent leuiter.

Post tenentur pro rata omissionis.

cum cura vel sine cura, si primis sex mensibus officium non dixerit, peccare quidem grauius, nisi legitimo impedimento excusetur; non tamen ad restitutionem ex prædicto Iure retineri. colligitur ex Concilio, & Bulla Pij V. vnde tenentur beneficiarij statim accepta possessione incipere.

Secundò, Post sex primos menses elapsos, si omiserint, etiam tenentur ad restitutionem pro rata omissionis officij & temporis; quia fructus non faciunt suos, vnde qui per vnum diem officium omiserit, tenetur restituere omnes fructus illius diei: qui Matutinum tantum omiserit, dimidiam partem: qui reliquas omnes Horas, alteram dimidiam: qui harum singulas (v.g. Laudes, vel Primam, vel Tertiam, &c.) sextam partem fructuum illi diei respondentium; comprehensis etiam distributionibus, quas non lucrantur, etiam si aliàs choro intersint, vt expressè habet d. Bulla.

177 Restitutio faciendâ fabricæ vel pauperibus.

Tertiò, Hanc restitutionem faciendam fabricæ Ecclesiæ vel pauperibus, siue illius loci vbi beneficium situm est, siue alterius: nam Concilium & Bulla in genere loquuntur. vnde si beneficiarius est pauper, potest ipsi illa restitutio applicari; quod intellige, nisi ex consuetudine vel statuto, id quod alij amittunt, accrescat alijs, qui intersunt & recitant officium, vt distributiones, & interdum ipsum corpus fructuum; vt notat Nauarrus n. 123. Credo tamen, quando res est occulta, & restituendo distributiones vel alios fructus, suum peccatum proderent, posse in alios vsus pios expendere.

Quartò, Meritò tam seueram constitutionem esse editam, propter enormem multorum negligentiam, qui impudenter officium etiam per menses & annos omittunt: non tamen videtur passim cum eo rigore recepta. vnde in eo, qui ordinariè satis diligens est, possit fortasse aliquod moderamen adhiberi. Henriquez c. 13. de excommunicatione, refert, praxim cum sapientum consilio ita hunc rigorem moderari, vt Parochus & Episcopus quintam partem pro rata restituant, reliquas quatuor ratione tituli & onerum retineant: Canonicus quartam partem restituat: alij beneficiarij tertiam. citat Bartol. Medinam, Lopezium, Peñam, Cueuos, Gallo, additque, cum ea moderatione Bullam Pij V. in Hispania receptam. Hæc tamen moderatio videtur iusto laxior, præsertim in Canonicis, & alijs qui non habent aliud onus quàm precum. Vnde eam limitauerim ad eos Beneficiarios, qui alia onera habent, idque iuxta onerum proportionem.

Moderatio quorundam.

178 Quo Iure tenentur ad restituendum.

Sed dubium est, Vtrum solo Iure Canonico teneantur ad restitutionem, an etiam Iure naturali?

Sunt due sententiæ. Prior est, eos Iure naturali non teneri. Ita Siluest. v. Clericus. 4. num. 16. vbi pro hac sententia citat Innoc. Ioan. Andream, Antonium de Butrio, & Panorm. in c. 1. de celebrat. Missarum. item Rosellam, Paludanum, & alios multos: quam Couar. l. 3. variat. c. 13. n. 10. fatetur esse communem.

Alterâ est, Eos Iure naturæ ad restitutionem teneri. hanc tenet Calderinus, Dominicus, Decius, & alij, quos citat Couarruias, Adrianus in 4. qu. An Clericus teneatur restituere, &c. Angelus v. Horæ Canonica. n. 11. Sotus l. 10. quæst. 5. ar. 6. Couarruias supra, & alij.

179

Sed videtur distinguendum. si enim loquamur de beneficijs curatis, & cappellis, certum est, bene-

ficiarios non teneri Iure naturæ ad restitutionem, etiam si preces canonicas omiserint; quia hæc non sunt instituta ad illas preces, saltem vt ad finem præcipuum; sed ad alias functiones, vt ad offerendum sacrificium, ad ministranda Sacramenta, prædicandū verbum Dei, &c. vnde qui hæc præstituerit, Iure naturæ non tenebitur quidquam restituere, vel saltem non nisi parum, etiam si Horas omiserit. nam illa oratio est functio tantum secundaria talis beneficii. Si verò loquamur de beneficijs, quorum tota vel præcipua functio est precatio Canonica; subest quidem ex natura rei sufficiens ratio vt stipendium possit repeti, & beneficiarij cogi ad restitutionem; tamen non tenentur sponte restituere, nisi Ecclesia significet se velle. Prior pars, subesse sufficientem rationem vt possint priuari, patet; quia beneficium datur propter officium, vt habetur c. finali, de rescriptis, in 6. & proinde si officium non fuerit præstitum, fructus beneficii possunt repeti: datum enim ob causam, cã non secuta, Iure repetitur. hoc argumētum sibi obijcit Panormitanus in c. de celeb. Missarum. quod satis probat, ipsum teneri, si Ecclesia declaret se velle vt restituat.

Beneficia quorum alia est functio quàm precatio Canonica.

Beneficia quorum præcipua functio est precatio.

Alterâ pars Probatur Primò, Quia ante Concilium Lateranense sub Leone X. nullus erat Canon, quo beneficiarij, qui officium omiserant, iuberentur restituere: quod signum est, eos Iure non fuisse obligatos, priusquam Ecclesia significet se id velle.

180 Non tenentur restituere, nisi Ecclesia significet se velle.

Secundò, Concilium Lateran. & Pius V. in Bulla satis apertè insinuant, eos non obligari primis sex mensibus à capta possessione: nempe quia Ecclesiæ placuit indulgentius agere pro tempore, quo incipiunt: quod signum est, eos Iure naturæ non obligari, nisi Ecclesia velit. si enim absolute tenerentur ad restitutionem Iure naturæ, sicut mercenarius diurnus omisso opere diurno, non minus obligantur primis sex mensibus, quàm postea.

Tertiò, Quia fructus beneficiorum non dantur illis immediatè pro officio quotidiano, sicut mercenarijs pro opere diurno; neque etiam vt famulis pro obsequio annuo, sicut dominus solet cõstituire mercedem famulo pro ministerio annuo; (quia officium diuinum non est pretio æstimabile, sicut obsequium famuli) sed dantur immediatè ad sustentationem ministri Ecclesiæ, sub onere recitandi illas preces pro fundatore & populo Christiano, Deumque per illas laudandi. Vnde tenetur quidem lege Iustitiæ preces illas recitare, sicut Parochus lege Iustitiæ tenetur Sacramenta administrare; si tamen omiserit, non tenetur Iure naturæ fructus refundere; quia non censetur aliquid pretio æstimabile omisisse vel detraxisse, quod eo modo compensari debeat. non enim illi fructus dati sunt pro obsequio aliquo temporalem vtilitatem habente, sed absolute in sustentationem, cum obligatione orandi. Vnde patet differentia inter famulum & beneficiarium: famulus enim etsi non teneatur ad restitutionem ob paucorum dierum negligentiam, sicut mercenarius diurnus; eò quod stipendium ei detur immediatè pro obsequio annuo, in quo omisso paucorum dierum non censetur notabilis; tamen si multas hebdomadas omittat, tenebitur; quia subtraxit domino suo aliquid notabile, quod pretio æstimetur: ac proinde debet illud pretio vel aliquo obsequio compensare. beneficiarius autem non subtrahit illud pretio æstimabile, ac proinde non tenetur illud per restitu-

Fructus dantur non immediatè pro officio diurno vel annuo, sicut mercenario vel famulo.

181 Discrimen inter famulum & beneficiarium.

tionem fructuum compensare; sed vel manet obligatus vt id quod omisit adhuc præstet per se vel per alium; (vt si omisit Sacra pro fundatore dicenda) vel obligatio cum tempore euanuit, eò quòd opus annexum esset tempori, & proinde per lapsum temporis factum sit impossibile: & sic solum tenetur dolere de peccato cum proposito emendationis; vt si officium precum non soluit. quòd si illæ preces non essent singulis diebus addictæ, deberet eas postea recitare.

Quartò, Si iure naturæ esset debita hæc restitutio, esset debita Ecclesiæ: atqui huic non est ita debita: tum quia non tam Ecclesiæ censetur læsa per illam omissionem, quam anima fundatoris: tum quia si Ecclesiæ iure naturæ esset debita, non posset alijs pijs operibus applicari.

Quintò, Si iure naturæ esset debita, deberetur etiam cum absque culpa officium omisissum est; sicut operarius tenetur restituere mercedem, si per morbum vel simile impedimentum ex parte sua proueniens, opus non præstiterit: atqui Ecclesiæ nunquam tales obligatur.

182
Potest Ecclesiæ restituere. præscribere duplici modo.

Hinc patet, nisi Ecclesiæ constituatur vt restitutio fiat, illam non esse necessariam. Potest autem id dupliciter constituere. Primò, Per modum legis pœnalis, priuando eos qui omiserint, in vindictam peccati: hoc enim Ecclesiæ per absolutam potestatem suam facere potest. Verum non sic videtur fecisse, quia ratio commodior suppetebat. Secundò, Per modum oneris, seu conditionis impositæ beneficiis: potest enim Ecclesiæ dare beneficia cum eo onere & sub ea lege & conditione, qua iudicat expedire. Itaque potest omnibus beneficijs, etiam curatis, imponere hanc legem, vt qui illa habet, non possit fructus absolutè suos facere, si ex culpa preces omittat. Eandem legem posset imponere fundator. vnde proprie pœnalis non est, etsi in eos solos constituta sit, qui ex culpa omittunt, seu qui cessante legitimo impedimento non recitant.

183
Quando acquirant absolutum dominium fructuum.

Ex dictis sequitur Primò, Beneficiarios non habere absolutum dominium fructuum, etiam antè perceptorum, nisi postquam officium tempori illi respondens dixerint; vel certè absque culpa prætermiserint: nam expressè dicit Pontifex & Concilium, vt fructus non faciant suos, si cessante legitimo impedimento officium omiserint.

Qui per ignorantiam omittunt.

Secundò, Eos, qui per ignorantiam inculpatam omiserunt, non teneri ad restitutionem; vt si eis persuasum fuit à viris doctis, quibus meritò poterant credere, se non teneri pro anno domus mortuariæ, vel dum versantur in studijs.

Quæ attentio sit necessaria, dicitur infra c. 37. dub. 1. de Oratione.

D V B I T A T I O XXXIII.

Vtrum Canonici non canentes in choro officium diuinum, teneantur ad restitutionem distributionum.

184
Dico Primò, Vbi est consuetudo vt ipsi Canonici canant in choro, qui non canunt, non merentur distributiones, etiam si domi preces recitent, aut submissè in Ecclesiâ dicant. Ita Sotus l. 10. q. 5. ar. 4. & Nauarrus de Orat. cap. 10. n. 47. Pro-

batur Primò, Quia distributiones non sunt constitutæ ob nudam præsentiam, sed vt cum alijs psallant, & diuinum officium decantent, vt rectè Sotus ait: Canonicoꝝ enim officium est psallere in choro, vt habet Concil. Basileense sess. 21.

§. 3. Secundò, Quia Caietan. opus. 31. responsione 8. docet, eum non satisfacere præcepto Ecclesiæ de dicendis horis, qui in Ecclesiâ alternantibus choris, suos vericulos submissè recitat, quamuis alios attentè audiat; eò quòd non communicet cum ceteris canendo, & sic per communicationem non censetur totum recitare: quod Nauarrus sic intelligit, non satisfacere præcepto Ecclesiæ, ita vt lucrari possit distributiones, quæ canentibus sunt constitutæ. Satisfacit tamen ita vt non peccet mortiferè, nec teneatur repetere; vt etiam docet Tabiena, §. vltimo: quia etsi non communicet cum eis quatenus canunt, communicat tamen quatenus recitant.

Dicens sunt vericulum submissè in choro, an satisfaciatur.

Dico Secundò, Vbi est consuetudo vt Canonici per Vicarios officium peragant, probabile est, eos posse distributiones lucrifacere, etsi officium in choro vel domi recitent; modò temporibus constitutis præsentibus sint. colligitur ex Caiet. v. Hora canonicæ, sub finem; tenet Petrus Nauarra lib. 2. c. 2. nu. 217. & Bernardinus Sandoualis de diuinis officijs cap. 16.

185
Vbi per Vicarios canunt, non tenentur per se.

Probatur Primò, Quia etsi veteri iure, & prima institutione teneantur Canonici per se diuina officia canere; tamen consuetudine in multis locis introductum est vt per Vicarios canant, Prælati scientibus & non contradicentibus: quæ consuetudo non est omnino contra rationem; nam sic diuinum officium magnificentius & suauius canitur, cum Canonici sæpè voce, suauitate, vel peritia canendi careant: vnde per eam potuit Iuri anti quo derogari.

Secundò, In multis locis vtuntur cantu figurato, cui non expedit Canonicos se admiscere: sufficit ergo vt ipsi tamquam maiores Clerici suâ præsentia omnia moderentur, & quæ alij canunt, ipsi attentè meditentur, (vt supra ait Caietanus) vel reuerenter assistant.

Tertiò, Quia Concilium Trident. sess. 24. c. 12. de reform. non videtur requirere aliud quam decentem præsentiam, Distributiones, inquit, qui statuis horis interfuerint, recipiant; reliqui, quauis conclusionem aut remissione exclusi, bis careant. Idem habetur in cap. 1. de Clerico non residente, Bonifacij VIII. quod citatur à Concilio. Si Concilium vel Pontifex iste voluisset cantum esse necessarium, id expressisset.

Dico Tertiò, Superiores Canonicoꝝ, vt Episcopi, Decani, Præpositi habentes iurisdictionem in Capitula, tenentur curare vt Canonici per se & non per substitutos diuina officia obeant. colligitur ex Concilio Trident. supra, Omnes vero diuina per se & non per substitutos compellantur obire officia, & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti assistere & inservire, atque in choro ad psallendum instituto, hymnis & canticis Dei nomen reuerenter, distinctè, deuotèque laudare. quod intellige quando non adhibetur cantus figuratus; non enim illi cantui suas voces miscere tenentur.

186
Superiores debent Canonicos cogere, &c.

Aduertendum autem, hoc præceptum dirigi non ad Canonicos, sed ad Prælatos, vt conuenientibus Iuris remedijs Canonicos cogant. vnde peccant Prælati, si id negligant; non autem Canonici

ndnici sua consuetudine videntes, quamdiu à Præ-
latis non vrgentur.

DVBITATIO XXXIV.

Quibus modis beneficia amittantur.

Diximus de modis acquirendi beneficij, de
conditionibus in beneficiario requisitis, &
de ijs ad quæ beneficiarij obligantur: sequitur nunc
vt dicamus de beneficiorū amissione; quod quarto
loco nobis in hoc capite propositum erat.

187 Porro amitti beneficium ante possessum po-
test vel ex dispositione Iuris, vel per sententiam
Iudicis, vel per liberam dimissionem seu resigna-
tionem.

*Ex disposi-
tione Iuris.* Ex dispositione Iuris amittitur, Primò, Propter
crimen aliquod, cui pœna amissionis ipso facto
per Ius est annexa. Secundò, Propter alterius be-
nificij incompatibilis consecutionem. Tertio, Per
professionem Religionis approbata. Quarto, Per
matrimonium validè initium. de tribus postremis
satis dictum est supra suis locis: de primo aliquid
dicendum. Multa sunt crimina, quibus hæc pœna
annexa est.

*Crimina,
quibus an-
nexa est
amissio
beneficij.* Primò, Hæresis, cap. Ad abolendam.9. de hæ-
reticis, §. 1. ad eò vt hæretico non proficit regula de
triennali pacifica possessione, vt docet Rebuffus
pagina 311.

Secundò, Schisma, cap. Nos consuetudinem,
d.12.cap. Quia diligentia, §. de electione.

Tertio, Sodomia sæpius exercita, ex Bulla Pij V.
apud Nauarrum cap.27.n.249.

Quarto, Percussio Cardinalis vel Episcopi. c. Fe-
licis, de pœnis, in 6.

Quinto, Homicidium qualificatum; nempe per
ficarium pretio conductum. cap. 1. de homicidio,
in 6. iuxta Alexandrum consil. 166.

Sextò, Falsificatio literarum Apostolicarum;
cap. Ad falsariorum.7. de crimine falsi.

Septimò, Si quis per se vel alium occidat Recto-
rem vel alium Clericum sive Ecclesiæ in qua be-
nificium habet, cap. In quibusdam. 12. de pœnis.

Octauò, Si examinatores ad Parochialem, ali-
quid pro examine acceperint; de quo sup. dub. 16.

Nonò, Ob simoniam confidentiæ; ex Bulla
Pij IV. & Pij V. apud Nauarr. cap. 23. num. 100. de
quo infra.

Decimò, Si obtinens Episcopatum, non accepit
consecrationem intra sex menses à pacifica posses-
sione, supra dub. 19.

Vndecimò, Si obtinens parochialem, non fue-
rit promotus ad sacerdotium intra annum; dubi-
tat. 19.

Duodecimò, Si quis duo incompatibilia primi
generis simul retinere præsumserit absque dis-
pensatione, amittit etiam secundum, de quo supra
dub. 27.

Decimotertio, Si Prælati vel administrator
alienet bona Ecclesiæ vel Monasterij absque for-
ma Iure præscripta, vel inconsulto Romano Pon-
tifici, Extrauag. Ambrosiæ, de rebus Ecclesiæ non
alienandis.

Decimoquarto, Si quis vi possessionem sit in-
gressus. cap. Eum qui 18. de præbendis, lib. 6. vbi
statuitur, vt qui beneficium, cui animarum cura im-
minet, vi occupat, seu se scierit iniuste intrudat in eo,
sit ipso Iure priuatus beneficio, quod cum cura simi-

li priuatus obtinebat. item, vt qui vi & propria au-
thoritate occupat aliquod beneficiū, eo ipso amit-
tat ius, si quod ante ad illud vel in illo habebat,
v. g. per electionem, vel præsentationem, vel col-
lationem.

Notandum est, in his & similibus casibus (si ta-
men Iura illa quoad pœnas non sint vsu abrogata) ¹⁸⁸
beneficium impetrari posse tamquam vacans; sed <sup>Beneficium
tale potest
ab alio im-
petrari.</sup>
crimen est probandum. Ipse tamen beneficiarius
non tenetur sponte sua dimittere ante sententiam,
vt supra cap. 29. dub. 8. diximus, nisi in casu vnde-
cimo & fortè decimo; quia Iura non sunt cum eo
rigore recepta. Quando autem non est quis Iure
priuatus, sed solum priuandus, tunc beneficium ab
alio impetrari non potest, nisi prius feratur senten-
tia priuatiua. Multa autem sunt crimina, ob quæ <sup>Crimina ob
quæ dicitur
priuandus.</sup>
quis priuandus dicitur; vt homicidium non qua-
lificatum; cap. Clericis. §. ne Clerici vel Mona-
chi, &c. sacrilegium, periurium, adulterium, & si-
milia grauius delicta depositione digna; vt docent
DD. in cap. Et si Clerici 4. & cap. Cum non ab ho-
mine. 10. de Iudicijs.

Ratione absentia non vacat beneficium ipso Iu-
re, sed requiritur sententia, qua absens priuetur.
Hæc tamen sententia ferri non potest nisi ipso ante
citato, vt colligitur ex cap. Quoniam. Vt lite non
contestata, &c. & Glossa ibidem. & ex cap. 2. de
Cleric. non resident. iuncta Glossa v. Depositus.
& cap. Ex parte. eod. Quod si nescitur vbi sit, ser-
uanda est forma quæ præscribitur cap. Ex tua. eod.
vt docet Glossa in d. cap. Quoniam, nempe vt in
corum Ecclesiæ triua citationis edictum publice pro-
ponatur, vt reuertantur. quod si postea ultra sex
menses redire distulerint, poterunt suis beneficijs
spoliari. quod si absentis beneficium absque hu-
iusmodi citatione alteri collatum fuerit, reuertenti
non oberit collatio, cap. Tua. de cler. non resident.
vbi Panor. & alij. De quo vide Rebuffum, Titulo
de Collat. num. 58.

DVBITATIO XXXV.

*Quid resignatio in beneficiis, & qua ad
illam requirantur.*

Resignatio hoc loco est iuris sui libera dimissio ¹⁸⁹
seu cessio. *Libera*, inquam, non coacta, quia
coacta per iniuriam, est nulla, vel certè annullanda,
cap. Super hoc, de renuntiatione, & Clem. Multo-
rum, de pœnis. Hæc autem fit tacite vel expressè.
Tacite fit ex Iuris dispositione, absque verborum
expressione; vt si quis matrimonium contrahat; si
lite super beneficio mota cedat; si per tres annos
eam non prosequatur; si in Ordinibus constitutus,
militiæ adscribatur; & alijs modis, quos vide apud
Rebuffum §. De tacita resignatione, & Flaminium
Patritium l. 1. de resignat. q. 1.

Expressè fit, quando disertis verbis agitur. hæc
autem est duplex, alia *pura*, quæ fit sine conditione
& pacto appposito; & tunc Ordinarius potest con-
ferre beneficium cui libet. alia est *conditionalis* seu
in fauorem: & hæc vel est *simplex* in fauorem, vt
quando fit absque reservatione; vel est *qualificata*,
vt quando fit reservato sibi iure regressus vel in-
gressus, vel pensione, vel aliquibus fructibus: de
quibus plura infra cap. 35. de simonia, vide Flami-
nium quæst. 2.

190
 Vt resignatio sit valida qua requirantur.

Circa qua Notandum est, Vt resignatio conditionalis, & id quod ex vi illius secutum fuerit, sit validum, requiri Primò, Vt beneficium sit resignantis; quia resignatio est sui iuris dimissio. vnde si ita sit priuatus, vt sponte ante sententiam teneatur dimittere; non potest hoc modo resignare. quòd si fecerit, collatio ex vi illius secuta, erit inualida. Si autem non tenetur dimittere ante sententiam, resignatio valida erit; quia adhuc beneficium est ipsius quoad ius possidendi & fruendi; potest tamen postea per sententiam irritari: sicut contractus & alienationes eius, cuius bona ipso iure sunt confiscata ob crimen hæresis, perduellionis, incestuum nuptiarum, &c. irritari possunt; etsi valeant donec sententia irrotationis feratur. de quo vide supra cap. 29. dub. 8.

Secundò, Debet esse libera, non metu vel dolo extorta, alioquin est inualida, vt dictum est; quòd enim fraus vel metus dat causam contractui, non obligat, præsertim si velit is qui iniuriam passus est; nam saltem arbitrio eius potest rescindi; L. 1. 7. Quod metus causa gestum; de quo supra cap. 17. dub. 5. quòd si quis spoliatus beneficio, coactus fuerit renuntiare, potest intentare remedium c. 3. Redintegrandæ. 3. q. 1. Nec Iudex debet audire detentorem, nisi spoliato fuerit restituta possessio, cap. Super hoc 5. de renuntiat. vide Gloss. in c. penult. de his quæ vi metusve causa fiunt.

191 Tertio, Debet fieri in manibus eius, qui potest eam admittere. Hic autem est Summus Pontifex, respectu omnium beneficiorum. Deinde Ordinarius, respectu eorum quæ ipsi subsunt. Tertio, Collator vel institutor; præsertim si habeat iurisdictionem, qua possit ex causa etiam beneficio priuare. colligitur ex cap. Admonet. 4. de renuntiat. Quidam tamen insinuant apertè, talem iurisdictionem non esse necessariam: nam solum dicunt non esse improbabile eam requiri. Ita Innocent. in cap. Quod in dubijs. 8. in fine. de renuntiat. & Glossa Clement. 1. de renuntiat. v. Manibus.

Vbi aduerte, quando resignatio fit in manus Ordinarij, & collatio pertinet ad inferiorem, vt ad Decanum, Præpositum, vel Canonicum; non posse Ordinarium sine illius consensu conferre: nam non debet proprius collator vel institutor per hoc iure suo priuari. Quòd si fiat in manibus laici, valet quidem in præiudicium resignantis, ita vt possit eo spoliari; non tamen ita vt vacet, nisi Superioris consensus accesserit; vt apertè colligitur ex d. c. Quod in dubijs. Idem dicendum si fiat coram Notario, vel alio, qui non est Superior Ecclesiasticus resignantis; cap. fin. de renuntiat. vide Flam. Parisium lib. 7. quæst. 9. & Rebuffum de resignat. expressa, n. 11.

Porro Ordinarius non potest admittere resignationem cum regressu vel ingressu, quia continet simoniam confidentiæ, vt infra dicetur. Potest tamen Pontifex eam admittere, cuius auctoritate hæc labes potest tolli à resignatione, cum solo iure humano sit inuecta. De resignatione cum pensione & in fauorem tertij, est dubium: pleriq; enim Doctores tenent eam esse simoniacam, nisi fiat in manibus Pontificis. sed de hoc infra c. 35. de simonia, dub. 14. & 15.

Quartò, Debet acceptari à Prælo, in cuius manibus fit; alioquin resignans non perdit ius suum, cap. finali de renuntiat. & cap. Inter. 17. de præbendis.

Resignatio cum reservatione pen- sionis.

192 Quintò, Debet conferri illi, in cuius fauorem cum clausula consueta est resignatum, alioquin prouisio non valebit, etiam si à Papa sit facta, vt docet Rebuffus, §. De resignatione conditionali, numero 16. & colligunt Doctores ex cap. vnico, de rerum permutatione, in 6. non enim potest ius meum mihi auferri & dari alteri, me inuito, nisi in poenam.

Sextò, Requiritur, vt is, cui confertur ex vi resignationis, illud acceptet; alioquin resignans non amittit suum beneficium, propter clausulam non aliter, &c. Vbi aduerte, etiam si beneficium iam sit collatum resignatario, tamen resignans manet in administratione sui beneficij, donec alter possessionem acceperit; quia antè non amittit possessionem. Sicut Proconsul manet in administratione, donec successor aduenerit, & quasi Prouinciæ possessionem ceperit; L. Meminisse. 10. 7. de officio Proconsulis.

Septimò, Requiritur consensus patroni, si est beneficium iuris patronatus, vel electorum, si est electiuum; alioquin resignatio in fauorem non valebit, sicut nec permutatio. Ita Glossa in Clem. vnica, de rerum permutatione. Felinus in cap. Cum Bertoldus. 18. col. 5. de sent. & re iudicata. Rochus de iure patronatus, v. Honorificum, q. 3. Gigas, de pensionibus, q. 23. & 24.

Sit tamen resignatio illa putaretur Ecclesiæ utilis, posset eam Superior approbare; (sicut dicemus de permutatione) & valeret absque consensu patroni. Hoc tamen casu si patronatus est laici, debet ei derogari in literis collationis. Idem dicendum in permutatione, alioquin non est valida, vt docet Gigas q. 24. num. 5.

194 Octauò, Si resignans sit infirmus, debet super- uiuere 20. dies post resignationem: alioquin censetur beneficium vacare per obitum, non per resignationem; ac proinde omnis collatio ex vi talis resignationis secuta, est irrita. Ita expressè habet regula Cancellariæ, quam explicat Rebuffus, §. Regula de infirmis.

Nonò, Si resignatio fiat in Curia Romana, debet intra sex menses, à die supplicationis oblatæ computandos, publicari in loco beneficij: si autem fiat extra Curiam, intra mensem publicari debet: alioquin si contingat resignantem mori antè quàm resignatarius ceperit possessionem, beneficium censetur vacare per obitum, & collatio facta resoluatur. Ita habet regula Cancellariæ, quam idem Rebuffus explicat, §. Regula de publicandis.

Publicatio resignationis.

DVBITATIO XXXVI.

Quid permutatio, & quæ ad eam requisita.

195 Permutatio est certa rei ad alteram facta mutua præstatio. vt habetur L. 1. 7. de rerum permutatione. quæ definitio etiam beneficiorum permutationi conuenit. Ad hanc ferè omnia requiruntur, quæ ad resignationem in fauorem. Primò enim requiritur, vt permutantes sint domini suorum beneficiorum: nemo enim potest permutare cum alio nisi rem suam. Vnde qui iam accepit le- cundum beneficium incompatibile, non potest permutare primum cum alio simplici; quia vacat, ita

Requisita ad permutationem.

1. Debent esse domini beneficij.

ita vt non sit amplius ipsius. Secus si in pœnam delicti dicatur vacare, vt dictum est supra num. 190. Pari modo si alter nihil iuris habeat in beneficio quod permutat, non valet permutatio; cap. Cum venerabilis, de exceptionibus, & L. 1. de rerum permut. & vterque redit ad suum beneficium, sine noua collatione, vt notat Ioannes Andr. in c. vnicum, de rerum permutatione, in 6. quia nihil censetur actum defectu conditionis necessariae. Si beneficium post permutationem deprehendatur subiectum liti, qui illud resignauit, debet litem profequi; & si euictum fuerit, alter redibit ad suum; cap. Si beneficia. 20. de præbendis, in 6.

Secundo, Libera.

Secundò, Debet esse libera, id est, non fraude vel metu extorta, vt supra n. 190.

196 Tertio, In manus Ordinarij.

Tertio, Requiritur vt vterque beneficium suum resignet in manus Ordinarij, cui beneficium subest, siue is sit vnus idemque, siue alius & alius. Vbi Aduerte, inferiorem Episcopo, absque præuio illius consensu permutantibus præstito, non posse recipere resignationes causa permutationis, & ex vi illius contere: id enim solis Episcopis concessum videtur, cum alijs sit iure prohibitum; vt patet c. Quæsitum. 5. de rerum permutatione. vbi dicitur, *Generaliter teneas, quod commutationes præbendarum de iure fieri non possunt, præsertim pactione præmissa, qua circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simonia. Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licet poterit de vno loco ad alijs transferre personas, &c. Cofir. ex c. Admonet. 4. de renunt. vbi dicitur, Vniuersis personis tui Episcopatus sub distinctione prohibeas, ne Ecclesias tue diœcesis ad ordinationem tuam pertinentes, absque assensu tuo intrare audeant, aut detinere, aut redimere inconsulto. Itaq; solius Episcopi est auctoritatem permutandi præbere, sine qua omnia erunt irrita. Si tamen collatio ad alios pertineat, Episcopus non potest sine eorum consensu exequi permutationem, recipiendo resignationes, & conferendo ipsa beneficia; sed permutantes ad collatores sunt remittendi, vt in manus eorum resignatio fiat, & ipsi iure suo vtantur. Non enim hi iure suo priuandi. Si tamen alicubi sit consuetudo vt etiam inferior Episcopo, vt Abbas, Præpositus, Decanus, sua auctoritate permutationes admittant & exequantur, valet, vt docet Glossa & DD. in Clement. 1. de rebus Ecclesijs non alienandis. Quod si Ecclesijs sint exemptæ, earum permutatio à Summo Pontifice est approbanda.*

Consuetudo.

197 Quarto, Collatio fiat in permutantes.

Quarto, Requiritur vt fiat collatio in permutantes. Vbi Aduerte, beneficium causa permutationis resignatum, non posse conferri nisi compermutanti: si alteri collatum fuerit, irrita est collatio, vt expresse habetur Clement. vnica, de rerum permutatione. vnde Ordinarius, si admiserit permutationem, adstringitur ipsis conferre. Neque est necesse vt resignationes aut collationes fiant eodem tempore; possunt enim sæpe multi menses intercedere: quod maximè locum habet, quando beneficia sunt in diuersis diœcesibus; tunc enim debent resignari coram diuersis Episcopis, à quibus postea debent etiam conferri. Vnde sequitur, si Petrus & Paulus permutent sua beneficia, & Paulus resignet prior, factaque resignatione & collatione moriatur antequam Petrus resignationem sui beneficij faciat, Petrum habiturum vtumque; vt etiam docet Rebuffus, §. De permutat.

Quintò, Requiritur consensus illorum, ad quos electio vel præsentatio spectat: alioquin non valet permutatio; Glossa in Clem. dictam; cum Felino & Rocho supra nu. 193. citatis. non tamen est irrita talis permutatio; sed à patrono in irritum reuocari potest, mediante sententia Iudicis, si intra tempus à iure ad præsentandum concessum contradixerit. quod si intra illud tempus non contradixerit, sciens illam esse factam, efficitur valida & firma. Vide Couar. qq. Pract. c. 36. n. 9.

198

Quintò, Consensus patronorum, &c.

Aduerte tamen, si patronus requisitus nolit consentire, posse Episcopum (si iudicat permutationem expedientem Ecclesijs) sua approbatione supplere consensum, & valet permutatio. Ita iudicauit totus Senatus Parisiensis, teste Rebuffo num. 22.

Sextò & Septimò, Requiritur duæ vltimæ conditiones, dubitatione præcedenti posite.

199

Petes Primò, Vtrum ius ad rem possit permutari, v.g. ius præsentationis, vel gratiæ expectatiuæ cum simili iure, vel cum beneficio?

Ius ad rem an possit permutari.

Communis sententia Doctorum est, id fieri non posse, probant ex cap. fin. de rerum permutat. Sed ibi tantum dicitur *spiritualia cum temporalibus permutari non posse*, vt ius decimarum cum pecuniarum summa; gratia autem expectatiua, & ius nominationis non est quid temporale, sed spirituale. Nihilominus tenenda est communis sententia, præsertim de gratiæ expectatiua; quia gratiæ sunt personales, & non excedunt casum expressum; vnde nec personam cui conceduntur. Ita Panormitan. in cap. Cum olim. 7. de rerum permut. quod probatur ex cap. Cui de non sacerdotali. 27. de præbendis, in 6. vbi dicitur, *Mandata de prouidendo, seu gratias expectatiuas non debere extendi ultra casus expressos*. Puto tamen has permutaciones non esse irritas, si Ordinarius illas admittat; quia nusquam hoc iure expressum: & interueniente Superioris auctoritate, in huiusmodi non committitur Simonia, cum sint res spirituales. vnde si ob iustam causam, v.g. ad litem componendam fieret, non putarem damnandum. Vide cap. 35. dubit. 4. num. 30.

Non videntur irrita ipso facto.

Petes Secundò, Si quis velit suum beneficium resignare in meum fauorem, & Ordinarius nolit talem resignationem admittere, vt ipse possit beneficium alteri conferre; vtrum ego possim vt permutatione facta, resignando causam permutationis beneficium, quod non habeo?

200 Permutatio ficta.

Rebuffus, §. De permutat. num. 14. & 15. putat talem permutationem validam esse. ratio est, quia non interest nisi partis, cui nulla hic fit iniuria. vel enim est conscientia, & sic consentit; vel si non est conscientia, integrum illi manet aut redire ad suum beneficium, aut agere ad complementum permutationis. Confirmatur, quia si tibi dedi rem meam causam permutationis, & postea nolim tuam, eamque tibi condonem, non irritatur permutatio.

Hæc sententia alicui vera videri queat, si tu bona fide putabas me habere beneficium, quod cum tuo permutarem, & ideo resignasti coram Ordinario, qui mihi illud contulit: tunc enim transfertur dominium propter bonam fidem contractentis; iuxta ea, quæ dicta sunt supra cap. 20. dubit. 18. & 19. Potest tamen me cogere vt impleam contractum, vel vt acceptum restituam. Si autem sciebas me non habere beneficium, res est minus verisimilis; quia tunc non poteris bona fide per-

per-

permutare, sed donare gratis, seu resignare in fauorem; quam resignationem Episcopus noluisse admittere. vnde videtur collatio facta per errorem, ac proinde irrita.

Dices forte, non esse irritam, quia Episcopus confert absolute volente parte, cuius est beneficium: vnde hic nulli fit iniuria. Nec refert quod Episcopus conferat per errorem, quia hic error est extrinsecus, versatur enim circa causam collationis: putat enim se conferre causam permutationis, cum non sit mutatio.

Nihilominus haec sententia mihi non probatur. Primò, Quia ianuam multis fraudibus aperit. Secundò, Quia facta permutatio non est permutatio, & consequenter nullam vim habet. vnde Ludou. Gomez. q. 19. in reg. Cancellar. de infirmis, dicit, permutationem cum beneficio, quod vocant *de pernica*, id est, cum beneficio ficto, non valere. Tertiò, Quia collatio in hac permutatione est per errorem & fraudem extorta. Nec refert quod error sit circa aliquid extrinsecum: nam etiam talis error, quando est causa contractus vel alicuius dispositionis, reddit illam irritam, vel certe in irritum reuocabilem, vt dictum est cap. 17. dub. 5.

DVBITATIO XXXVII.

Quid & quotuplex sit pensio.

²⁰¹ **P**ensio hoc loco est *ius non-perpetuum percipiendi fructus ex alieno beneficio*. Dico *Non-perpetuum*, vt excludatur Beneficium: hoc enim ita institutum est, vt non solum ad vitam vnus vel duorum duret, sicuti pensio, sed vt sit perpetuum. Dico, *Ex alieno*; quia nemo ex suo beneficio dicitur habere pensionem, cum eius habeat proprietatem & fructus omnes; sicut nemo dicitur habere vsumfructum in suis bonis, sed solum in alienis; est enim pensio similis vsumfructui à proprietate separato.

²⁰² Pensio est triplex, temporalis, spiritalis, media. *Temporalis* dicitur, quae datur propter aliquod ministerium temporale praestitum vel praestandum; vt ea, quae datur viro illustri vel Principi vt Ecclesiam defendat; quae aëonomo, vel alteri negotia Ecclesiae agentem item quae datur ob bonam operam Ecclesiae nauatam, vel ob spem nauandae.

Spiritalis est, quae fundatur in titulo merè spiritali, vt ea quae datur concionatori, vel adiutori Episcopi aut Parochi.

Media est, quae fundatur in solo statu spiritali, non tamen in officio spiritali praestando; vt ea quae datur Clerico pauperi, vel Parocho seni, vt se sustentent; & quae datur causà resignationis vel litis componendae, haec duae postremae vocantur clericales, seu Ecclesiasticae pensiones, quia solis Ecclesiasticis dantur; prima verò laica, quia laicis.

DVBITATIO XXXVIII.

Quanam requirantur vt pensio Ecclesiastica possit obtineri.

²⁰³ **P**rimò requiritur vt obtinens sit capax. vt autem sit capax, necesse est Primò, vt sit Clericus, ac proinde vt habeat primam tonsuram, vt

docet Gigas q. 22. quod intellige, si pensio referretur alicui tamquam Clerico: quia etsi ius expressum hac de re non sit, tamen ita seruat stylus Curiae Romanae, qui pro lege seruat, vt dicunt DD. Aetas autem ea sufficit, quae ad tonsuram, vt docet Gigas quaest. 13. Neque Concilium Tridentinum quidquam hac in re mutauit: etsi credam magis secundum mentem Concilij esse vt ad sit aetas necessaria beneficiis. Secundò, vt non sit illegitimus: hic enim sine dispensatione non est capax pensionum, vt nec beneficiorum; vt probat Gigas q. 16. neque Episcopus cum eo dispensare potest, nisi ad pensiones, quas ipse potest seruare. Tertiò, vt non sit excommunicatus; hic enim sicut aliorum priuilegiorum impetrandorum est incapax, ita etiam pensionum. Vnde is, cui pensio referuatur, solet in litteris absolui ad cautelam, sicut in litteris prouisionis beneficiariae. Idem videtur dicendum de irregularitate; ita Nauarr. Consil. 35. de Homicidio. Emmanuel tamen Sa v. Homicidium n. 21. dicit, homicidam voluntarium, qui tamen maximè est irregularis, non esse incapacem pensionis. itaq; declaratum à Congregatione Concilij, neque id in editione Romana est correctum, vnde haec sententia est valde probabilis.

Secundò, Requiritur vt subsit *iusta causa*: qui enim sine iusta causa pensiones obtinent, non sunt tuti in conscientia, etiam si Pontifex cum eis dispensauerit; vt docet Toletus l. 5. c. 73. ex communi sententia Theologorum. Sicut qui accipit pecuniam ab aëonomo, quem scit malè dispensare res domini sui, non potest retinere; praesertim si nullum officium pro ea praestiterit. haec autem causa debet cedere in vilitatem Ecclesiae; vt propter aliquod ministerium temporale vel spirituale Ecclesiae exhibitum vel exhibendum, vel ad pauperem Clericum alendum, vel ad litem beneficiariam componendam, vel ad permutationem beneficiorum inaequalium faciendam.

Tertiò, Requiritur *potestas* in constitente seu seruante. haec autem est in Summo Pontifice, ad quem plenaria dispositio beneficiorum noscitur pertinere; vt habetur cap. 2. de praebendis, in 6. & Clement. 1. in fine, Vt lite pendente.

Sed dubium est, Vtrum Episcopus possit pensionem constituere?

Quidam docent, posse, si causa iusta subsit. Ita Gigas q. 6. qui pro hac sententia citat Oldradum, Felinum, Antonium de Butrio, Innocent. Imolam, Petrum Ancharanum, Decium & Cacchialupum. *Causa iusta* censetur, Primò, Si assignetur seni Parocho, non valenti amplius seruire, vt alatur. Secundò, Si causà transactionis in lite; vt patet cap. Nisi essent. 21. de praebendis, & cap. Audiui-mus. 3. de collusione detegenda. Tertiò, Si causà permutationis, ob inaequalitatem fructuum, cap. Ad quaestiones. 6. de rerum permutatione. vbi satis aperte id videtur concedi. ita docet Nauarr. Consil. 22. de Simonia n. 4. cum Anch. & Felino. Causà verò simplicis resignationis, Doctores Episcopo id non concedunt; nisi resignans esset senex, & ad praestandum officium ineptus, vel nisi alia rationalis causa interueniret. In his casibus non potest eam constituere, nisi ad vitam eius cui assignatur, vt docet Gigas ex Oldrado & Ancharano. Verum quidam dicunt, pensionum constitutionem per stylum Curiae referuari Summo Pontifici. Vnde Ordinarij non poterunt, nisi quatenus id eis priuilegio

Aetas.

Legitimus.

Non inno-
datus cen-
sura.

204

2. Causa
iusta.

3. Potestas.

An Episco-
pus pensio-
nem reser-
uet.

205

206

uilegio vel consuetudine est concessum. nam sty-
lus Curia ius facit: quod maximè in pensionibus
verum est, quarum ius vniuersum ferè cõstat con-
suetudine. Confirmatur, quia pensionum consti-
tutio est contra Ius commune, quo statuitur vt be-
neficia sine imminutione conferantur, Decretal.
lib. 3. titul. 12. Itaque continet in se dispensatio-
nem Iuris. at Episcopus, vt pote inferior, non po-
test dispensare in Iure, nisi quatenus id ei ipsum
Ius, vel consuetudo legitime præscripta, quæ instar
Iuris habeat, concedit. Idem confirmari potest Ex-
trauag. Ambrosia. de rebus Ecclesie non alienan-
dis. Nam constitutio pensionis non minùs est
alienatio quàm vel decennalis locatio, vel hypo-
thecatio: quia est alienatio rei immobilis, nempe
Iuris Ecclesie competentis, pars enim Iuris Eccle-
siae ad fructus alienatur. quod maximè locum ha-
bet in pensionibus perpetuis. Ius autem tale inter
immobilia censeri constat. Idem crediderim de
pensionibus vitalibus. quia non minùs inter im-
mobilia censeri debent, quàm redditus vitales, &
vius fructus. Adde, has pensiones plerumque an-
nexam habere aliorum bonorum obligationem,
quæ etiam illi Extrauag. repugnat. Requirit au-
tem ea consuetudo de qua diximus, vt legitime
præscripta censeri debeat, secundum communio-
nem sententiam DD. vel 40. annos cum titulo, vel
tempus immemorabile sine titulo. quia Ius com-
mune & Iuris præscriptio ei obstat, iuxta cap. 1. de
præscript. in 6.

Hæc tamen potissimum intellexerim de pen-
sionibus quæ primariò imponuntur ipsi beneficio,
ita vt simul cum beneficio tanquam onus an-
nexum transeant in successorem beneficij. Harum
enim constitutio merito solum Papæ referuatur, nec
Iure communi conceditur Episcopis: quia id ce-
deret in damnum successoris. Secùs fortè de illis
quæ primariò imponuntur ipsi personæ beneficia-
rij, & solum secundariò ipsi beneficio, nimirum
pro eo tempore quo ipsius fuerit, ita vt simul atque
ad alium translatum fuerit, onus pensionis extin-
guatur. Nam id in nullius cedit præiudicium, &
tampè grauis causa subest ita statuendi, & ipsi be-
neficiario expedit, qui etiam in talem pensionem
consentit. Et de tali pensione intelligendi Doctores
& Iura supra n. 205. allata.

Nec obstant Canones, quibus dicitur Beneficia
sine diminutione conferenda: quia tantum inten-
dant vetare, ne Episcopus vel Collator sibi partem
fructuum referuet, titulo in alium collato: & ne
ipsa beneficia diuidat in duo: vel ipsa primariò
oneret: vt patet ex locis citatis, & ex cap. Maioribus.

cap. Vacante. & cap. Cum causis, de præbendis. de-
nique ne sine graui causa pensiones etiam secun-
dariò imponantur. Si tamen talium pensionum
constitutio stylo Curia Pontifici esset referuata, il-
li standum.

Quartò, Debet esse moderata, ita vt beneficiario
relinquatur quantum satis est ad sustentationem;
præsertim si sit beneficium cum cura animarum.
Vnde inoleuit consuetudo vt non excedat tertiam
partem fructuum, teste Caccialupo, tract. de pen-
sionib. q. 7. & regulariter Legatis Apostolicis da-
tur potestas referuandi pensiones super fructibus
beneficiorum ex causa resignationis vsque ad ter-
tiam partem prouentuum; vt testatur Gigas q. 6.
& 9. potest tamen Pontifex maiorem constituere.

Quintò, Etsi beneficium, cui pensio imponi-
tur, sit Iuris patronatus laicorum; non tamen est
necessarius consensus patroni, vt quidam volunt:
quia id nullo Iure cauetur; & alius nullum sic ei
per impositionem pensionis præiudicium: patroni
enim non est percipere aliquos fructus, nisi in ne-
cessitate, quando ab Ecclesia deberet ali: quæ ne-
cessitas, cum non impendat, non est considerabilis:
sed tantum eius est præsentare instituendum;
quod ei per pensionem non adimitur. secus est in
permutatione & resignatione, quæ fit in fauorem,
& in vnione beneficiorum; in quibus suo Iure
priuari. vnde debet ordinariè eius consensus in-
teruenire. debet tamen in litteris pensionis fieri
mentio, & derogatio patronatus, si sit laicorum, vt
habet stylus Curia; teste Gigante quaest. 24. non
tamen si sit Ecclesiasticorum; vt tradunt DD. in
cap. Cum dilectus, de Iure patronatus. difficilius
enim Pontifex onerat beneficia patronatus laico-
rum, quàm Ecclesiasticorum.

Sextò, Pensionarius etsi Iure antiquo non tene-
batur ad aliquas preces, nunc tamen post constitu-
tionem Pij V. vbi ea est recepta, tenetur recitare
Officium B. Virginis; vt patet ex Bulla eiusdem.
quod si omiserit, non facit fructus suos; eodem
prorsus modo, quo beneficiarius horas Canonicas
omittens. vide Bullam eius apud Nauarrum c. 25.
num. 122.

Septimò, Pensio non est perpétua vt benefi-
cium, sed morte pensionarij extinguitur, sicut
vius fructus morte usufructuarij. Posset tamen
Pontifex efficere vt sit perpétua instar beneficij,
vtque de vno in alium transferatur, sed hoc ex ple-
nitudine potestatis, non ex natura & conditione
pensionis.

Vtrum pensio possit redimi, vel vendi, dicitur
capite sequenti dub. 22.

4. Mode-
rata.207
Consensus
patroni non
est necessa-
rius.208
Recitat
Horas bea-
tae Virginis.